NERO CLAUDIUS

DRUSUS

GERMANICUS

MAGUNTIACI

SUPERIORIS GERMANIÆ

METROPOLIS

CONDITOR

E

SCRIPTORIBUS COÆVIS ET CLASSICIS

DELINEATUS

A

STEPHANO ALEXANDRO WÜRDTWEIN.

MOGUNTIAE,

Ex Typogr. Elect. Aul. Acad. Apud Joann. Jos. Alef,
Hæred. Hæffner. 1782.

IMP. CAES. NERONI. CLAUDIO. DRUSO. GERM.

TIB. IMP. FR. DIVI. AUG. F.

D. JUL. NEP. PRAET. COS.

PROVINCIAR. GERM. SUP. ET. GALLIAE.

LUGDUN. RAETIAE. VINDELICAEQUE. PRAEF.

MOGUNTIACI.

GERM. I. METROPOL. CONDITORI.

EXTRUCTISQUE. AD. RHENUM. L. CASTELLIS.

RHENO. FIRMATO. ATQUE. HEINC.

AETERNUM. NOMEN. INDEPTO.

MOGUNTINENSES.

BENEFICII. NON. IMMEMORES.

PRAESIDI. OPTUMO.

LL. M. PP.

PRÆFATIO.

Ad ſocietatem litterariam, quæ Moguntiæ eſt, dirigebantur hæ pro excolenda Archi-Diœceſis Moguntinæ hiſtoria invitatoriæ:

Q. D. B. V.

Societates arctiori bonarum vinculo legum unitæ uno alterove dirigente, parentibus aut ſuggeſta comprobantibus aliis maxima nunquam non poſt ſe reliquerunt monumenta, quæ ſera adhuc mirabitur poſteritas; Ubi olim non niſi quercus & fagi, vepres & creyere dumeta, agros nunc fertiles, urbes conditas, vineasque florentes conſociatarum ope manuum ſuſpicimus. Hæ ſocietates ulteriori ſolertia excultæ & propagatæ utrumque mutuo inter ſe commercio junxerunt orbem.

In artibus & ſcientiis eandem vix non culturam deprehendimus & propaginem. Quot enim nobiliſſima hominum ingenia ſub denſa caligine noctis inculta manſiſſent & ſterilia, niſi ſedula accedente Magiſtrorum induſtria nova luce perfuſa ad inveſti-

ganda, invenienda & explananda rerum principia apta fuiſſent reddita & idonea. Neque ad munus Magiſterii quis eluctabitur, niſi poſt creberrimas collationes eruditas & ejusmodi cum exteris Commercia.

Quodſi demum viri artibus & ſcientiis illuſtres pro augenda re litteraria congregentur in unum, maxima exin commoda & emolumenta in Rempublicam deriventur neceſſum eſt; quos enim labores arduos & difficiles ſinguli nequidem adgredi conantur, minime vero ſuperare valent atque perficere; eosdem ſocii litterarum cultores communi conſilio, junctis manibus, coadunatiſque viribus adgrediuntur, ſuperant, perficiunt. Teſtes ſunt Obſervationes Aſtronomicæ, Phyſica experimentalis, Matheſis purior, Galeni dogmata & juſtiniani, quæ indies illuſtrata magis communibus ſuffulta ſubſidiis ad ultimum uſque apicem evehuntur. Sola cujuſvis patriæ hiſtoria his deſtituta adminiculis uſque huc deſerta vix non jacuit & inculta. Id quod de patria noſtra Moguntina,

tina, cujus hiſtoria illuſtrior cum utroque ſtatu & Eccleſiæ & Imperii intimius connexa eſt, dolenter referimus.

Hiſtoriæ Moguntinæ defectus major & propemodum univerſalis mox apparuit, cum ſcriptores rerum Moguntiacarum notis & elucubrationibus Georgii Chriſtiani Joannis illuſtrati anno hujus ſeculi vigeſimo ſexto viceſima Julii tertia flammis voracibus maximam partem conſumpti interiiſſent Francofurti.

Luxit orbis litteratus non ſolum hoc damnum ingens, ſed & quod Codex Diplomaticus ab ipſo Opere avulſus ad ſeros fuiſſet dilatus annos.

Pauciſſima, quæ reſidua ſunt, exemplaria, hiſtoriam Patriæ ad annum Milleſimum ſeptingenteſimum viceſimum tantummodo continent. Deficit igitur ſeries hiſtorica ad noſtra uſque tempora per annos ſexaginta.

Horum penuria librorum fecit, quod neque tenera juventus, neque civis hu-

manior ſciendi avidus hiſtoriam ſoli nativi quam maxime neceſſariam addiſcere potuerit, præſertim cum lucem publicam necdum aſpexerit genuina hiſtoria Patriæ lingua vernacula typis evulgata.

Modo nil commemorabimus de Hiſtoriæ ſubſidiis : de addiſcenda re Diplomatica, de lectione antiquarum omnis ſeculi ſcripturarum peculiariter inſtituenda, de cognitione ſigillorum, Collectione & notitia Numiſmatum omnis ævi Moguntinorum &c. &c. paſſim neglectis &c.

Defectibus his ut opportuna afferatur medela, vires unius viri non ſufficiunt. Et plures & validi ſolummodo humeri maximo huic oneri ſupportando pares ſunt.

Hinc non ſine ſupremi Numinis providentia plane ſingulari factum eſſe exiſtimem, quod ſub felicibus hujus anni auſpiciis viri a ſtatu & conditione præſtantes & clariſſimi ſocietatem litterariam congregave-

gaverint, promovendis artibus & ſcientiis intentam in maximum patriæ emolumentum.

Faxint boni cœlites! ut iſthoc nobile inſtitutum multis nominibus commendandum indies magis efflorescat & ad ſeram uſque poſteritatem progagetur. Id ipſum eſt quod dilecta noſtra exoptat Patria, quæ Annales ſuos ab omnigena rerum geſtarum varietate celeberrimos è genuinis fontibus nunc uberius deducendos & methodo ſyſtematica illuſtrandos eſſe certo ſibi pollicetur.

Ad hanc opem quanto ocyus ferendam omnes & ſinguli Rei litterariæ cultores, queis Hiſtoria Moguntina cordi eſt, amiciſſime invitantur.

Dabam Moguntiæ è Muſæo Anno Domini MDCCLXXXII. Kalendis Martii.

Stephanus Alexander Würdtwein
B. M. V: ad Gradus Decanus.

Invitatio hæc vix innotuit & complures è ſocietate illud *Ciceronis in Vatin*: *Omnia quæ a nobis geruntur, non ad noſtram utilitatem & commodum, ſed ad patriæ ſalutem conferre debemus*, ſerio recogitantes eandem ſubſignarunt ſpondentes huic peculiari Patriæ Hiſtoriæ inſtituto operam, induſtriam, conſilium & auxilium, addito inſuper voto unanimi: Ut proſpectus dictæ hiſtoriæ conficeretur. His deſideriis undequaque juſtis mox factum eſt ſatis viſa Hiſtoriæ Moguntinæ Sciagraphia, quæ talis eſt:

Q. D. B. V.

Hiſtoria Patriæ alto diu ſopore ſepulta expergiſci tandem, caput attollere, novaſque reſumere vires cum ingenti civium gaudio viſa fuit die hujus menſis Martii decima, qua eidem in gradum eminentiorem provehendæ Viri præprimis Publicæ Rei dignitatibus præfulgentes Muſis elegantioribus amiciſſimi cordibus unitis ſpopondere operam, induſtriam, conſilium & auxilium.

Diem

Diem hanc fauſtiſſimam, quisquis amat Patriam, Moguntinis Annalibus nunc demum diplomatice conſcribendis unanimi calculo cenſet aureis litteris inſerendam.

Scopum igitur præfixum ut eo certius aſſequamur, ſyſtematice procedemus, in ampliſſima Archidiœceſi noſtra, quam illuſtratum imus, conſideraturi: *Locale*, *Perſonale* & *Reale*; quibus verbis ſolummodo tribus univerſa Patriæ noſtræ hiſtoria comprehenditur. De quolibet verbo pauca.

Locale indigitat Diœceſin, qua longe lateque patet, Moguntinam & infra eandem Territorium S. Martino proprium. Certos illius limites non niſi ſumma cum difficultate reperire licuit. Filum Ariadneum ſuggerebant Regiſtra Archidiaconalia. Conſtat enim ex antiqua Eccleſiæ diſciplina, quod Diœceſis in tractus Archidiaconales diſtincta à Præpoſitis Eccleſiarum, qui munus Archidiaconorum gere-

bant, visitari debuerit, assignatis eisdem proventibus à cujuslibet loci Ecclesia, Clero & populo pendendis. Cum igitur Officium istud lucrativum quoque fuerit, in regiſtris Archidiaconalibus nec villa, nec pagus aut oppidum desiderabatur. Hæc regiſtra in unum collecta ſiſtunt Diœceſin integram, quæ ad Archi-& Epiſcopatus Trevirenſem, Metenſem, Wormatienſem Herbipolenſem, Paderbornenſem, Colonienſem, Hildeſienſem, Naumburgenſem & Halberſtadienſem uſque procurrit, prout demonſtrat *Diœceſis Moguntina in Archidiaconatus diſtincta commentationibus Diplomaticis illuſtrata* Mannhemii typis Academicis tribus tomis nuper edita & *Thuringia medii Ævi Eccleſiaſtica* tomis totidem proxime edenda ulterius eſt demonſtratura. Pars ista Localis Moguntini præcipua, ſi cuilibet Archidiaconatui acceſſerit Mappa Geographica, pro intentione noſtra erit omnibus numeris abſoluta.

Magnum etiam Hiſtoriæ noſtræ afferet adjumentum *a.* Fidelis copia Chartæ

Topo-

Topographicæ Urbis Moguntinæ, cujus Originale aſſervatur in Archivio Electorali anno 1575. Danieli Archi-Epiſcopo à Maſcopio Geographo dedicata.

b. Hiſtorica deſcriptio noſtræ Urbis aureæ cum omnibus, quæ non pauca ſunt, memoratu dignis, Ædificiis publicis ſacris & profanis &c.

c. Exacta deſcriptio Territorii Moguntini ſecundum omnes Præfecturas. In his Antiquitatum Romanarum & Caſtrorum medii ævi rudera nequaquam ſunt omittenda. Maximo dein poſſunt eſſe uſui

d. Notitiæ monaſteriorum, quæ in Diœceſi Moguntina extiterunt & adhuc ſuperſunt. Eorum elenchum fontibus additis præmiſimus *Notitiis hiſtorico-Diplomaticis de Monaſterio Ilbenſtadt in Wetteravia* an. 1766. prelo ſubjectis. Pro iſthoc themate illuſtrando ad manum ſunt Chartæ & Diplomata magno numero.

Perſonale Moguntinum partem hiſtoriæ alteram conſtituit in Tomos tres diviſam.

ſam. Primus exhibet elenchos Epiſcoporum Metropolitanorum nec non Metropolitanæ Prælatorum & Canonicorum cum Archipresbiteris. Tomus alter ſiſtit ſuffraganeos Moguntinos, Vicarios in ſpiritualibus Generales, Officiales Metropoliticos & ſigilliferos, nec non Eccleſiarum Collegiatarum Moguntiæ Prælatos. Tertius Tomus ſubminiſtrat Suffraganeos Erfordienſes, Commiſſarios in ſpiritualibus Amœnoburgenſes, Aſchaffenburgenſes, Eichsfeldenſes, Frideslarienſes & Eccleſiarum Collegiatarum extra Urbem Prælatos. E Statu ſeculari: Cancellarios Electorales, Vice-Dominos Urbis, Aſchaffenburgenſes & Rhingavienſes, Camerarios Urbis, Waltpodios ſive Præfectos Violentiarum, Prætores, Satrapas ſupremos Haſſiæ & Eichsfeldiæ, Locumtenentes Erfordiæ & ibidem Prætores. &c. Hæc quoque pars Hiſtoriæ Moguntinæ ſecunda hinc inde jam impreſſa à millenis defectibus repurgata, emendata, aucta & ſuppleta typo parata Offertur, eidem ultima manus poſtquam fuerit admota.

Miri-

Mirifice ornabitur Perſonale Moguntinum, ſi colligantur & Collecta edantur,

a. Stemmata Nobilitatis Rhenanæ Genealogica.

b. Moguntia litterata &

c. Monumenta familiarum ſepulchralia.

Articuli duo ultimi pro honore & incremento Societatis litterariæ congeſti, in partes diviſi ſingulis anni quartalibus ſucceſſive in lucem prodire poterunt.

Reale Moguntinum Subminiſtrat, quidquid à perſonis ſupra memoratis in Archidiœceſi Moguntina dignum memoria geſtum fuerit. Id Anteceſſores noſtri chartis & Diplomatibus conſignatum nobis reliquerunt. Horum aſſervamus tantam multitudinem, ut numerum millenarium multoties tranſcendant.

Pro adjumento erunt ſigilla Archi-Epiſcopalia æri affabre inciſa & in *Novis ſubſidiis Diplomaticis* edita & adhuc edenda cen

nec non Diplomata aurea & argentea (nummos Moguntinos intelligimus) quæ deſcripta ſunt *in den Maintzer Müntzen an.* 1769.

Ex hiſce monumentis conficiendi ſunt *a*: Annales Moguntini Diplomatici à temporibus Willigiſi Archi-Epiſcopi ad noſtra usque tempora deducti. *b.* Priorum ſeculorum hiſtoria è Scriptoribus Romanis & Francis aliisque adminiculis comprobata peculiaribus Commentariis venit elaboranda.

Dictis Annalibus ſuccurrere ii poterunt, queis aperta ſunt Archivia Originalibus documentis & libris copialibus inſtructa.

Speciminis loco dabimus ſuo die geſta ſub Willigiſo Archi-Epiſcopo. Id, ſi arriſerit, pro ſuo quivis è ſocietate litteraria genio ſeligere poterit Archi-Epiſcopum è coævis & Diplomatibus illuſtrandum. Quodſi alius *c.* Villarum, pagorum, oppidorum-

rumque consuetudines & Observantias, vulgo die Weistümer, alius

d. Curiam Feudalem Moguntinam sollicite elaboraverit, brevi mox tempore apparatum habebimus non modicæ utilitatis. Operæ pretium quoque foret

e. Varia opuscula, in quibus describuntur Status & jura Archi-Episcopatus, à multivariis repurgare mendis & erroribus.

Quid si ab iis, qui Galenum Venerantur, enixe peterem (ut in aliis regionibus laudabiliter factitatum novimus) gramina, flores & herbas à benefica matre natura in solo Moguntino plantatas ut conquirerent & *Floram Mogonam* in uno herbario vivo sisterent!

Quid si adderent mineras, petrofacta & fossilia in terris Moguntinis passim obvia?

Messis profecto multa! cui, ut nullatenus dubitandum, si correspondeat operariorum labor & industria, nostra inclita

socie-

ſocietas litteraria ſibi Patriam reddet devinctiſſimam.

Dabam Moguntiæ è Muſæo Anno Dni MDCCLXXXII. pridie Kalendas Aprilis.

Stephanus Alexander Würdtwein
B. M. V. ad Gradus Decànus.

Diviſa tandem Hiſtoria Moguntina in epochas Notabiliores, diebus huic novo Patriæ Hiſtoriæ inſtituto longe ſaluberrimo ſacris prælecta fuit ſequens de *Druſo* noſtro brevis commentatio.

---

§. I.

§. I.

DRUSI PARENTES.

Nero (*a*) Claudius (*b*) Druſus (*c*) ex patre Tiberio Nerone (*d*) C. Cæſaris in bello Alexandrino Claſſi Præpoſito (*e*) Pontifice (*f*), Prætore (*g*) Matre vero Livia Druſilla (*h*) Octavio Cæſari Auguſto cum bina ſobole (*i*) a Tiberio Nerone ceſſa natus eſt anno Urbis conditæ 716. ante Chriſtum natum 37. (*k*)

(*a*) Unum antiquitus Romanis fuiſſe nomen ut & cæteris mortalium pleriſque, teſtis *Appianus* eſt. cauſas hunc morem immutandi varias afferunt *Varro*, *Julius Paris* apud *Valerium*, *Priſcianus*, *Carolus Sigonius*. Cæterum Romana ſtante republica, ſi plura aſſumerentur nomina, eorum, quod primo loco, prænomen vocabant, alterum

nomen erat ac propria nota gentis aut familiæ. Hinc cognomen ſubjiciebant & interdum quarto etiam loco agnomen. Advertit id *Plutarchus in Mario*, Erudite & eleganter *Jac. Sirmondus præfat*: in notis ad *Sidonium* de propriis nominibus mediæ ætatis, quo loco poni & unde ſumi ſolita, diſputat. *Nero* in lingua Sabina fortem ſignificat & ſtrenuum. *Suetonius in Tiberio c.* 1. Nerones *Horatius* multum extollit *carmin*: *libr. IV. od. IV.* in *Druſi* laudibus ita canens: Quid debeas o *Roma* Neronibus, Teſtis *Metaurum* flumen & *Asdrubal* devictus & pulcer fugatis ille dies Latio tenebris, qui primus alma riſit adorea: dirus per urbeis *Afer* ut italas ceu flamma per tedas vel *Eurus* per ſiculas equitavit undas. Poſt hoc ſecundis uſque laboribus Romana pubes crevit & impio vaſtata Pœnorum tumultu fana Deos habuere rectos: dixitque tandem perfidus *Hannibal*, cervi luporum præda rapacium ſectamur ultro, quos opimus fallere & effugere eſt triumphus. Gens, quæ cremato fortis ab Ilio jactata Tuſcis æquoribus, ſacra, gnatoſque, maturoſque patres pertulit Auſonias ad urbeis; duris ut Ilex tonſa bipennibus nigræ feraci frondis in Algido per damna, per cædes ab ipſo ducit opes animumque ferro. Non Hydra ſecto corpore firmior vinci dolentem crevit in *Herculem*, monſtrumve ſummifere *Colchi Majus*, *Echioniæve Thebæ*. Merſes profundo, pulcrior evenit: Luctere, multa proluet integrum cum laude victorem, geretque prælia conjugibus loquenda; *Carthagini* jam non ego nuntios mittam ſuperbos: occidit, occidit ſpes omnis & fortuna noſtri nominis, *Asdrubale* interempto. Confer eruditum *Lævini Torrentii* Gandavenſis Epiſcopi

Antverpienſis *Commentarium in Q. Horatii* Carmina pag. 292. ſq.

(*b*) Patricia *gens Claudia* (fuit enim & alia plebeja nec potentia minor nec dignitate) orta eſt ex Regillis oppido ſabinorum; Inde *Romam* recens conditam cum magna clientum manu commigravit. *Sueton: in Tiberio c. 1. ſeq.* ubi præcipua Claudiorum merita in rempublicam enumerat. Ex hac ſtirpe *Druſus* genus trahit & quidem utrumque: paternum à *Tiberio Nerone*; maternum ab *Appio* pulchro, qui ambo *Appii Cæci* filii fuerunt. Inſertus eſt & Liviorum familiæ, adoptato in eam materno avo; quæ familia quanquam plebeja, tamen & ipſa admodum floruit octo Conſularibus, Cenſuris duabus, Triumphis tribus: Dictatura etiam & Magiſterio equitum honorata: Clara & inſignibus viris ac maxime *Salinatore Druſisque*. Sic *Valerius Maximus lib. II. c. IX. Sueton: in Tiber: c. III.*

(*c*) *Druſus* hoſtium Duce *Draſo* cominus trucidato ſibi poſteriſque ſuis cognomen invenit. *Sueton, in Tiber: c. III.*

(*d*) Erat is quæſtor * *C. Cæſaris* Alexandrino bello Claſſi præpoſitus, qui tunc plurimum ad victoriam contulit. Quare & Pontifex in locum *P. Scipionis* ſubſtitutus & ad deducendas in Galliam Colonias, in queis *Narbo* & *Arelate* erant, miſſus eſt. Tamen *Cæſare* occiſo, cunctis turbarum metu abolitionem facti decernentibus, etiam de præmiis tyrannicidarum referendum cenſuit. Prætura deinde functus, cum exitu anni diſcor-

* (Quæſtores ab inquirenda & ſervanda Publica pecunia dicti ſunt.)

dia inter Triumviros exorta esset, retentis ultra justum tempus insignibus, *L. Antonium* Consulem Triumviri fratrem ad *Perusiam* secutus, deditione à cæteris facta, solus permansit in partibus, ac primo *Præneste* inde *Neapolim* evasit, servisque ad pileum fruſtra vocatis, in Siciliam profugit. Sed indigne ferens nec statim se in conspectum *Sexti Pompeji* admissum & fascium usu prohibitum ad *M. Antonium* trajecit in Achajam, cum quo brevi reconciliata inter omnes pace *Romam* rediit. *Suetonius in Tiberio c. IV. De bello Alexandrino* videantur *A Hirtii* Commentaria inter Scriptores Histor. Roman: ab *Hauriſio* editos *Tom. III. p.* 517.

(*e*) Hodie: Admiralis, supremus militiæ navalis Dux.

(*f*) Pontifex Maximus supra omneis Pontifices omniaque sacra erat, penes quem, libri rituales, lintei, elephantinique erant, ubi Annales scribebant. Tantaque pollebat auctoritate ut *Metellus Cœcus* Pontifex Max. *A. Posthumium* Cos: ad bellum properantem (quod is Flamen *Martialis* esset) non sit passus à sacris recedere, ut *Livius* testatur. *Volaterr. de Sacerd. Rom*: is alios dirigebat Pontifices, quos inter *Tiberius Nero*.

(*g*) Prætores Collegæ consulis eique dignitate proximi sunt; eisdem creabantur auspiciis *Liv. lib.* 7. & *Agell. l.* 13, *c.* 14. Nomen iis, sive quod præirent, *Varro l.* 3. *de LL.* sive quod præessent. Munera prætorum tria præcipue: Ludi, sacra, jurisdictio. *Just. Lipsius* de Magistr. pop. Rom. *c. X. seq.*

(*h*) Cum *Scribonia* Conjuge secunda *Augustus* fecit divortium, pertæsus, ut scribit, morum perversitatem ejus ac statim *Liviam Drusillam* matrimonio

nio *Tyberii Neronis* & quidem prægnantem abduxit. *Sueton. lib. II.* in Auguſto *c. LXII. Sextus Aurelius Victor Epitome c.* 1.

(*i*) *Tiberio* nempe & *Druſo*.

(*k*) Perſpectum eſt aſſiduis Romanæ Hiſtoriæ cultoribus, quod Chronologi in computandis annis conſularibus varias amplectantur ſententias, annoſque recenſeant vel ab Anno Urbis Conditæ 243. quo primi Conſules continuo ab expulſo *Tarquinio* atque adeo ante initium anni 244. denominati fuerint; vel ipſo anno 244. quo alterum Regi-fugium contigit Illis Faſtos conſulares tum *Meſſalæ*, *Oroſii*, *Rufi*; *Eutropii*, *Jornandis* tum interpretes *Livii* & *Taciti* pro ſua opinione allegantibus. Nos vero *Dionem Caſſium* licet ab initio mutilum ſequimur, qui præ reliquis Scriptoribus & Latinis & Græcis, qui hanc hiſtoriam pertractarunt, palmam fere omnium calculis obtinet. *vid: præfatio editionis Caſſii Dionis*, quam *Pariſiis* curabat *Henricus Stephanus* an. MDXCII. *Claudius Nero Druſus* poſtea *Germanicus* ex merito cognominatus mundo datus eſt Anno Urbis conditæ 716. *Appio Claudio* & *C. Norbano Coſſ.* ante Chriſtum natum 37.

Annum ætatis trigeſimum ſaltem inchoatum numerabat, dum vivere deſiit Anno U. C. 745. ipſomet *Druſo* & T. *Quintio Criſpino* conſulibus. Quodſi ponatur annus U. C. 716. Annus vitæ *Druſi* primus & cum emortuali ejusdem computetur, reſultant anni vitæ triginta ſaltem inchoative.

Reliquas notatu dignas in decurſu dabimus epochas.

§ II.

DRUSUS IN PALATIO AUGUSTI.

Octavius Auguſtus in neo-infantis Druſi (1) amorem mirifice raptus curam impendit omnem & ſollicitudinem, ut corpore & mente (2) creſceret in columen Reipublicæ (3) jam in immenſum auctæ. (4)

---

(1) *Livia Druſilla* geſtans uterum *Auguſto* cum nupſiſſet, intra menſem tertium peperit Patrem *Claudii* Cæſaris *Druſum* olim *Decimum* mox *Neronem* prænomine, fuitque ſuſpicio, ex Vitrico per adulterii conſuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus eſt verſus: τοῖσ ἐυτυχοῦσι καὶ τείμηνα παιδία. Hoc eſt: *Veniunt beatis & trimeſtres liberi. Sueton*: in Claudio Cæſare *cap.* 1. quin & *Druſus Auguſti* filius vulgo credebatur. Eo quoque *Horatius* alludere videtur in oda ſuperius citata: Senſere (*Rheti*) canit, quid mens rite, quid indoles nutrita fauſtis ſub penetralibus poſſet, quid *Auguſti* paternus in pueros animus Nerones. *Lœvinus* ex *Dione* aliam affert rationem: Cum enim *Auguſtus Liviam* à priore marito *Tib*: *Nerone* & quidem volente, ſexto jam menſe gravidam, in matrimonium accepiſſet, eaque tertio poſt menſe natum *Druſum* patri *Tiberio* reddidiſſet; moriens *Tiberius* & huic *Druſo* & priori filio *Tiberio Auguſtum* tutorem teſtamento reliquit. Hinc ille paternus ejus in Nerones animus.

(2)

(2) *Horatius* loco ſupra memorato qua teſtis ocularis educationem *Druſi* ſummæ expectationis pueri paucis ſed graphice deſcribit: Fortes creantur fortibus, & bonis eſt in juvencis, eſt in equis patrum virtus; nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Doctrina ſed vim promovet inſitam, rectique cultus pectora roborant: utcumque defecere mores, dedecorant bene nata culpæ. Pöeta hic primo exprimit naturam & genus, dein doctrinam & educationem. Sic enim *Plato* in oratione funebri: Boni fuerunt, quia ex bonis nati ſunt, generis igitur præſtantiam primum laudemus, deinde educationem & doctrinam. *Ariſtoteles* politicorum tertio ſcribit eſſe probabile, viros præſtantiores eſſe eos, qui è præſtantioribus nati ſint; nobilitas enim, generis præſtantia & perfectio eſt. Quantum valeant ad ingenium hoc vel illo habitu imbuendum, moreſque conformandos atque etiam inſerendos ſtirps generis & educatio, declarant poëtæ, qui, quem ſignificare volunt ſævo, immiti, inhumano eſſe ingenio, eum dicere ſolent è ſaxis ac rupibus, è mari natos, à leonibus educatos. Sic à contrario. confer: *Lambini Commentarius in Horatium p.* 233. Vidit *Druſus* indies in *Auguſto* patre præclariſſimum quod imitaretur, exemplar continuæ aſſiduitatis in excolendis artibus liberalibus, in dirigendis pertractandiſque Regni per Provincias vaſtiſſimi negotiis conſilii, prudentiæ & Conſtantiæ, in devinciendis ſubditorum animis paterni Amoris & Regiæ liberalitatis, in converſatione domeſtica gravitatis moderatæ & fortitudinis bellicæ vix comparandum vid. *Sueton. lib.* 2. *de Auguſto.* Sub inſigni hoc Magiſterio accrevit *Druſus*

& eventu comprobante vero verius evaſit: Verba movent, exempla trahunt.

(3) De reddenda Republica bis cogitavit *Auguſtus*: primo poſt oppreſſum ſtatim *Antonium*, memor objectum ab eo ſibi ſæpius, quaſi per ipſum ſtaret, ne redderetur. Ac rurſus tædio diuturnæ valetudinis; cum etiam Magiſtratibus ac ſenatu domum accitis rationarium imperii tradidit. Sed reputans & ſe privatum non ſine periculo fore & illam plurium arbitrio temere committi, in retinenda perſeveravit, dubium, eventu meliore an voluntate. Quam voluntatem cum præ ſe idemtidem ferret, quodam etiam edicto his verbis teſtatus eſt: Ita mihi ſalvam ac ſoſpitem rempublicam ſiſtere in ſua ſede liceat, atque ejus rei fructum percipere, quem peto, ut optimi ſtatus auctor dicar, & moriens, ut feram mecum ſpem, manſura in veſtigio ſuo fundamenta reipublicæ, quæ jecero. *Sueton: in Octavio Auguſto cap. XXVIII. lib* 2. Hæc ſenſa Patris hauſiſſe Druſum videmus; nam *Sueton*: *in Claudio Cæſare* ait *c.* 1. Eundem haud diſſimulaſſe, ſe priſtinum Reipublicæ ſtatum quandoque reſtituturum, ſi poſſet. *Tacitus annal. lib.* 1. *c. XXXIII.*

(4) *Meſſala Corvinus* A. U. C. 722. * cum *Cæſare Auguſto* Conſul in ſuo de progenie *Auguſti* libello quantum excreverit Romana potentia ſic commemorat: Omnis Italia viribus armorum ſubacta eſt ſimul & Alpes Cottiæ Penninæ & Grajæ atque Romanæ, cum Alpinis populis, ipſis in rupibus duratis in ditionem convenere. *Africa* ter victa primo & ſecundo & tertio bello Punico inæſtimabili vulnere utrimque accepto. Romano Imperio tan-

* Juxta Dionem Caſſium: 722.

tandem parta: *Sicilia*, *Sardinia*, *Baleares*, *Creta* insulæ obtentæ. *Numidia*, victo *Jugurtha* in potestatem redacta. *Hispaniam*, genus armorum ferox, nostrorum nec sine Romano cruore, subjugavere arma. *Celtiberi*, *Cantabri*, *Astures*, *Lusitani*, *Numantia* omnisque *Gallæcia* flexere cervicem. *Gallia* atque *Britannia* novem annorum *Julii Cæsaris* labor fuere, tributariæ demum factæ. Post hæc *Illyria*, *Istria Liburni* & *Dalmatæ* obsecundavere perdomiti. Proinde in *Græciam* transitus fuit; qua perdomita *Epirus*, *Thessalia* & *Achaja* paruere mandatis. Ter *Macedonia* cum regibus suis debellata & in provinciæ formam demum redacta. *Thraces* sæviissimos omnium, *Propontidem* & *Thracium Bosphorum* cum ipso *Byzantio* virtus Romana superatos reddidit. Hinc ad *Danubium* *Rhenumque* tuis auspiciis victoriosissime Principum penetratum & utriusque fluminis utramque ripam tuæ industriæ subjugavere vires. Duæ *Germaniæ inferior* ac *Superior* tibi unico cessere. *Norici*, *Pannonii*, *Suevi*, *Marcomanni*, *Duci*, *Mœsi* cæteræque nationes ad *Archon* superati. *Europa* in extremis finium suorum per te undique exterrita & armis concussa. In *Asiam* jam ante perventum fuerat & victo *Antiocho*, potentissimo *Syriæ* Rege, victo *Mithridate*, *Syria*, *Phœnix*, *Ctesiphon*, *Babylonia*, *Judæa*, *Palæstina*, *Arabia*, *Cilicia* & omne *Ponti* regnum cum ipsa minore *Asia* in qua *Phrygia*, *Lydia*, *Bithynia*, *Paphlagonia*, *Isauria* & *Cappadocia* regiones continentur, mandatis obtemperavere. Cessit & utraque *Armenia* armis attrita. *Mesopotamia* inter *Tigridem* & *Euphratem* sanguine *Parthorum* ac *Persarum* crebro cruenta multiplici bello demum Romano

paruit. Diverſis temporibus cum *Perſis* & *Parthis* aſſidue pugnatum & utrimque cladibus acceptis, *Romanus* ſuperior fuit & obſtantibus imperavit. Ad *Archon Colchi*, *Hiberi*, *Albani*, *Scythæ*, *Aſſyrii*, *Caſpii* cum *Amazonibus* ſuis ductu noſtrorum Ducum ſubjugati ſunt. *Ægyptiorum* Reges ultro in amicitia & fœdere ſteterunt. *Cyrene* ac tota *Lybia* & *Mauritania* extincto *Juba*, obſequentes fuere. Indi ex ipſo extremo *Oriente* poſtremo ad te Glorioſiſſime Principum in extremo *Occidente* tum bella gerentem, legationem miſere ad obſequia ſe paratos profitentes, ut nonnihil te imperante haud ſupereſſet indomitum.

§. III.

PRIMA DRUSI EXPEDITIO IN RHÆTIAM.

Druſum Adoleſcentem (*a*) tot tantiſque virtutibus exornatum (*b*) Auguſtus adeo habilem cenſuit, (*c*) ut Ducem exercitus eundem conſtitueret, qui Rhetos (*d*) vicinas Galliæ & Italiæ provincias multum infeſtantes invaderet, vinceret, domaret, (*e*) quod & egregie præſtitit.

(*a*) Juxta *Dionem lib. IV. pag.* 613. cum *Druſus* Rhœtos viciſſet annus erat U. C. 739. M. *Druſo Libone* & *L. Calpurnio Piſone* Coſſ. anno priore *Tiberii* Prætura ex ſenatus Conſulto, quam ad finem uſque geſſit, ſuſcepta *Dio p.* 611.

(*b*)

(*b*) A *Vellejo Paterculo hiſt lib. 2. c. XCVII. Druſus* Claudius frater *Neronis* (Tiberii) deſcribitur adoleſcens tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit vel induſtria perficit; cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus ſuffecerit artibus, in incerto eſt. Morum certe dulcedo ac ſuavitas & adverſus amicos æqua ac par ſui æſtimatio inimitabilis fuiſſe dicitur.

(*c*) Hanc *Auguſti* cenſuram ſcite depingit *Horatius* in oda ſæpius citata: Qualem miniſtrum fulminis alitem, cui Rex Deorum regnum in aveis vagas permiſit, expertus fidelem *Jupiter* in *Ganymede* flavo: olim juventas & patrius vigor nido laborum propulit inſcium, vernique jam nimbis remotis, inſolitos docuere niſus venti paventem; mox in ovilia demiſit hoſtem vividus impetus, nunc in reluctanteis dracones egit amor dapis atque pugnæ: Qualemve lœtis caprea paſcuis intenta, fulvæ matris ab ubere jam lacte depulſum leonem dente novo peritura vidit: Videre Rhæti bella ſub Alpibus *Druſum* gerentem & Vindelici, quibus mos unde deductus per omne tempus Amazonia ſecuri dextras obarmet quærere diſtuli, nec ſcire fas eſt omnia; ſed diu lateque victrices catervæ conſiliis juvenis revictæ ſenſere &c. confer. *Lævini Torrentii Commentar. p.* 289.

(*d*) Rhæti juxta *Strabonem lib.* 4. & Rhætis vicini Vindelici eas Alpium partes tenent, quæ ad Orientem ſpectant & in Auſtrum vergunt, Helvetiis Bojiſque finitimi, quorum etiam campis imminent & ea Italiæ loca complectuntur, quæ ſupra *Veronam* & *Conium* ſunt. *Dion* ſimiliter Rhætos inter Noricum & Galliam ad eas Alpium partes

tes collocat, quæ Italiam ſpectant & Tridentinæ appellantur. Unde, cum & Galliæ finitima incurſarent & ex Italia etiam prædas agerent, viatoribuſque tum Romanis tum ſociis damna inferrent, nec eo contenti, mares omnes, quos ceperant, nec manifeſtos tantum, ſed etiam eos, quos adhuc in matrum utero latentes certis divinationibus deprehendebant, interficerent, *Auguſtus* primo *Druſum* eis immiſit; poſtea cum fuſi fugatique Galliam invaderent, *Tiberium* adjunxit. Ambo itaque partim per ſe, partim legatorum opera, ſingulos adgreſſi, tandem ſimul omnes in poteſtatem redegerunt.

(e) De hoc bello *C. Vellej. Paterculus hiſtor. lib. 2. c. XCV*: Reverſum (ex Armenia in poteſtatem redacta) *Neronem* Cæſar haud mediocris belli molem experiri ſtatuit, adjutore operis dato fratre ipſius *Druſo Claudio*, quem intra Cæſaris penates enixa erat *Livia*. Quippe uterque diviſis partibus Rhætos Vindelicoſque adgreſſi, multis urbium & Caſtellorum oppugnationibus nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutiſſimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces majore cum periculo quam damno Romani exercitus plurimo cum earum ſanguine perdomuerunt. Confer: *Lucius Florus Rer. Rom. lib. IV c. XII. Horatius* ad finem odæ in *Druſi* laudes conceptæ accinit: Nil *Claudiæ* non perficient manus, quas & benigno numine jupiter defendit & curæ ſagaces expediunt per acuta belli.

§. IV.

§. IV.

DRUSUS RHENI LIMITEM FIRMAT.

Devictis Subactisque Rhætis (1) atque vindelicis (2) Victor *Drusus* ad Augustum reversus (3) Prætoris honore (4) & tanta Augusti fiducia dignus est habitus, qui præesset Legionibus in Galliis & ad Rhenum dispositis simul ac provincias contra incursiones tutaretur (5) juvenis Heros ad magna quæque natus rem ita ordinavit, ut milite nunquam non ad utilitatem publicam occupato (6) per Rheni ripam Castella exstruerentur ultra quinquaginta (7) quæ inter *Maguntiacum* Germaniæ Superioris metropolis à situ (8) nomine (9) viis publicis & militaribus, (10) aquæductu, (11) ponte (12) &c. &c. hic paucis consideranda.

(1) Confer. §. III. not. d.

(2) Vid. §. III. not e.

(3) In Galliis tunc morabatur *Augustus. Dio Cassius lib.* 54. ad annum U. C. 738. notat: His constitutis L. *Domitio* & P. *Scipione* Coss. in Galliam profectus est, obtendens causam hujus profectionis bella, quæ ibi conturbata essent. Cum enim diuturna ejus in Urbe commoratio molesta multis esset, ac multos, qui contra leges deliquissent, plectens,

plectens, offenderet ; multis parcens, cogeretur ſuas ipſe leges prævaricari, peregre abire *Solonis* exemplo. Statuit. . . . . Cæterum maximum ea tempeſtate bellum, quod ipſum adeo *Auguſtum* Urbe extraxit, contra Germanos fuit. Sicambri, Uſipetæ & Tenchteri primum quosdam in ſuo territorio deprehenſos Romanorum in crucem egerant; deinde Rheno tranſmiſſo ex Gallia prædas egerant: equitatum Romanorum contra ſe miſſum per inſidias circumvenerant & à fugientibus uſque ad *Lollium* præfectum præter opinionem ſuam pertracti hunc quoque vicerant. *Dio. l. c. p.* 612.

(4) *Dio l. c. p.* 614. Ejuſque victoriæ ergo (*Druſus*) prætorios honores adeptus eſt.

(5) *Auguſtus* rebus Gallicis, Germanicis, Hiſpaniciſque omnibus confectis, cum multos in ſingula ſumptus feciſſet, magnam ab aliis pecuniæ vim accepiſſet, libertatem ac jus civitatis aliis dediſſet, aliis ademiſſet; *Druſo* in Germania relicto *Romam* reverſus eſt *Tiberio* & *Quintilio Varo* Coſſ. An. U. C. 741. *Dio Caſſius li. IV.* Cura deinde atque onus Germanici belli delegata *Druſo Claudio* fratri *Neronis. Vellej Paterc. hiſtor. lib. 2. c. XCVII.*

(6) Exercitus ab exercendo dictus (*Vegetius lib. 2. c.* 1. conſer. *juſtus Lipſius* de militia Romana *Dial. XI*) ne extra diſciplinæ limites vagetur & inſoleſcat, longe arcendus ab otio eſt; magni nominis belliduces hanc regulam quam exactiſſime obſervarunt in maximum rei militaris profectum. conf. *Livius Dec. III. lib. XXVI. c. LI. Cæſar* ingreſſus Helvetiorum provinciam cum una legione quam ſecum habebat, militibuſque, qui ex Provincia convenerant, à lacu Lemano ad mon-

tem

tem juram millia paſſuum novemdecim, murum in altitudinem pedum ſedecim, foſſamque perduxit. Eo opere perfecto præſidia diſponit, Caſtella communit, quo facilius, ſi ſe invito tranſire conarentur, prohibere poſſet. *Jul. Cæſar lib.* 1. *bell. Gallic.* Plura præſtitit *Cæſar* & magna, ſed Majora paulo infra in *Druſo* noſtro admirabimur.

(7) *Lucius Florus lib. IV. c. XII.* Per Rheni quidem ripam (*Druſus*) quinquaginta amplius Caſtella direxit. adde epitomen *Livii libr. CXXXVII.* Cum *Lipſio l. c. Dial. XIII.* hic loqui juvat: Horreſcit mihi animus, cum opera Romanorum video, nec à magna manu, nec in magno tempore facta. Gigantes fabulata eſt vetuſtas & Perſicos quosdam Reges, qui montes ſtruxerunt aut complanarunt? hic veros eos habes. Iſti patrarunt, quidquid fidem ſuperat & fieri humana manu vix poſſe videatur. Vidimus hac ætate noſtra munitionibus exſtruendis adhibita multa hominum millia & opus per aliquot annos vix perfectum fuiſſe; quod niſi indies & continuo reficiatur & reſtauretur, intra breve temporis ſpatium penitus evaneſcet. Diffluxere nunc anni mille ſeptingenti & nonaginta à conditis ad Rhenum Caſtellis, quorum rudera cunctis temporum injuriis imo violentis hominum manibus adhuc reſiſtunt. Quinquaginta Caſtella ſive civitates munitas intra quatuor annos direxit *Druſus*! quod à nullo Imperatorum factitatum legimus. De quinquaginta Caſtellis *Bucherius L.* 1. *c.* 17. §. 12. *p.* 43. ait ſi *L.* Caſtellis, oppidiſve Rhenum *Druſus* prætexuit, ſane vix ulla ad Rhenum loca, veteribus Romanis Scriptoribus celebrata, ab Druſinis excludi poterunt. Ita *Druſenheim* paulo infra *Argentora-*

cum

tum quasi *Drusi* domicilium: ita *Tabernæ Rhenanæ*, *Vicus Julius*, *Alta ripa* adhuc hodie *Altrip* paulo infra *Spiram*, *Moguntiacum*, *Bingium*, *Vesalia*, *Bodobriga*, *Confluentia*, *Antennacum*, *Rigomagis*, *Ara Ubiorum*, *Novesium*, *Gelduba*, *Asciburgium*, *Vetera*, *Arenacum*, *Vada*, *Grines*, *Trajectus* inferior, *Lugdunum* Batavorum à *Druso* vel condita vel aucta fuerint; Ad Mosam vero etiam *Trajectus* superior, ponte ibi muniendo.*

(8) Cum *Julius Cæsar* anno Urbis conditæ DCXCVI. ante C. N. 58. adversus *Arioviſtum* Germanorum Regem arma sumpsisset; terræ nostræ Romanis primitus innotuere. *Cæsar de bello Gallic. l. I. c. I. IV. lib. III. c. XI* Durante hoc bello Rhenum Cæsar bis ponte trajecit. *Florus lib. IV. c. XII.* sed ubique altum de urbe nostra silentium, ac si tunc aut nullus aut obscurus certe locus aut vicus fuerit. E paucis fortasse piscatorum tuguriis enascitur villula, domus huic pedetentim additæ pagum constituunt aut oppidum. Non una die fecit *Roma* aut *Corinthus*.

Rheno *Drusus* contra Germanorum incursiones muniendo intentus, locum pro castro principaliori condendo magis aptum invenire non poterat, quam Metropolim nostram, inter *Saletionem* & *Antonacam* mediam, in qua deinceps *Dux Mogontiacensis* residens invigilaret legionibus per Castella

* Sub *Augusto* divisio provinciarum facta est. Penes Cæsarem per mansere: Omnis Gallia & Narbonensis & Lugdunensis, Aquitaniaque & Celtica cum iis populis, qui eorum Coloni essent, nam Celtæ quidam, quos Germanos vocamus, cum omnem Celticam regionem, quæ ad Rhenum est, occupassent, effecerunt, ut ea Germania vocaretur, superior ea, quæ Rheni fontibus propior est, inferior, quæ ab hac usque ad Oceanum Britannicum se extendit &c. *Dio Cassius L. 53.*

ſtella diſpoſitis eisdemque præſideret. *Confer*: §. *IV.* *n.* 12. Notitia Imperii ſerius quidem conſcripta eximias Ducis memorati prærogativas continet:

Sub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Mogontiacenſis:
Præfectus militum Pacenſium *Saletione.*
Præfectus militum Menapiorum *Tabernis.*
Præfectus militum Anderecianorum *Vico Julio.*
Præfectus militum Vindicum *Nemetes.*
Præfectus militum Martenſium *Alta ripa.*
Præfectus militum ſecundæ Flaviæ *Vangiones.*
Præfectus militum Armigerorum MOGONTIACO. *
Præfectus militum Bingenſium *Bingio.*
Præfectus militum baliſtariorum *Bodobrica.*
Præfectus militum defenſorum *Confluentibus.*
Præfectus militum Acincenſium *Antonaco.*
Officium autem habebat idem Vir ſpectabilis Dux hoc modo:
Principem ex Officiis Magiſtrorum militum præſentalium alternis annis
Numerarium à parte peditum ſemper.
Commentarienſem à parte peditum ſemper.
Adjutorem, ſubadjuvam, Referendarium, Exceptores, ſingulares & reliquos Officiales.

Princeps Magunciacenſe caſtrum ubinam fuerit exſtructum, varii varias attulere conjecturas curatius nunc penſitandas: ** *Hermannus Piſcator* monachus *S. Jacobi Moguntiæ* in ſua Moguntinenſi ad *Sorbillonem* monachum montis *S Joannis* in Rhingavia concertatione ſic differit: Tradit cana patrum antiquitas & communis modernorum refert opinio, priora Urbis ejusdem mœnia in ſpa-

* Confer: not. 10.
** Eadem hic & alibi verba *Serrarii* & *Georgii Chriſtiani Joannis* adducimus, ut quoad hanc ſaltem materiam librum præprimis rarum inquirere neceſſum non ſit.

tiosa planitie, ubi modo leprosorium & monasterium *S. Mariæ in sacra valle* cernitur, fundata fuisse; cui rei multæ quoque subterraneæ ruinæ & specus attestantur. *Serrarius Rer Mog. lib. 1. c. VI. Piscatori* assentiens ait: Et sane, cum è *S. Stephani* porta, quæ agraria seu arvalis (Gauport) in monasterium illud descendimus, sunt a latere muri antiqui defossi, qui totius ejus lateris vineas quasi sustentant, ultra vero monasterium in campis editioribus ad dextram stant adhuc hodie lapideæ moles, quas inferne continuas fuisse docere videtur structuræ ratio & tumulus, sub quo defossa alia rudera, perpetuus. Nam quod iis quasi pilis aquæ ductum fuisse impositum dicunt aliqui, ut *Piscator* in M. S. dicens ab Imperatore *Alexandro* Mammeæ factum & tandem conversum in hæreticorum sepulchrum, Ketzergrueb vel Küel, conjecturam nullam habet. Cur enim tantæ moles, tam compactæ, continuæque fuissent? Cur in progressu versus *Fintheim*, unde aquas isti esse ductas ajunt, nullum amplius ejusmodi occurrit vestigium?

Hac super re & quam longe *Serrarius* à vero aberret, sensa nostra jam aperuimus in Commentatione: *De Baptisterio Moguntino* anno 1764. edita, quæ cum raro occurrat, relata ibidem *pag.* 29. repetimus. Quod autem moles illæ lapideæ monasterio Dalheimensi proxime adjacentes mœnia civitatis Moguntinæ nunquam fuerint, ad oculum cuivis eas eminus & propius consideranti adhuc hodie demonstrari potest. Nam pilæ hæ lapidares æqualiter vix non inter se distant, spatiaque intermedia lapidibus cœmentoque obsita fundamentis carent; hinc inferne continua non sunt. Id sæpius

exami-

examinanti probe innotuit, uti &, quod hac ætate noſtra moles ejuſmodi altiſſima ex horto monialium fuerit effoſſa ab adjacente alia plane ſeparata & inferne non continua. Dein, quo magis collem aſcenderis verſus *Finthen*, moles ſemper decrescunt; ſi verſus monaſterium deſcenderis, moles ſurgunt altiores, imo altiſſimæ & ſuperne horizontales; neque ſuperiores pilæ cum inferioribus ullatenus quoad altitudinem ſunt proportionatæ. Mœnia ſi fuiſſent, pilæ reſiduæ in vertice collis deberent altiores eſſe & ad pedem humiliores; contrarium autem in aprico eſt. Tandem fatentur ruricolæ: ſeſe plurimas ejusmodi moles aut potius earum radices, ne ſulcanti aratro remoræ forent, magno cum labore *Finthenam* verſus eruiſſe, ſtetiſſeque has, prout notatum fuit, in una linea uſque ad fontem (*Königsbrunn*) in ſylva, quæ eunti ad villam *Finthen* (in Diplomate anni 1108. apud de *Gudenus* T. 1. *p.* 389. *Fundene* compellatur) à Latere ſiniſtro eſt, hodiedum extantem. Hæc qui penſitaverit, & aquæ ductus Italiæ præſertim Romanos viva mente revolverit, haſce moles aquæ ductui tempore Romanorum inſerviiſſe abſque hæſitatione enuntiabit. Subjungimus, quæ Abbas *Trithemius in Chron. Hirſaug: ad an.* 893 notavit: Poſt hæc (Nortmanni) ad *Moguntiam* Caſtra moventes aquæductum illum pretioſum atque magnificum, per quem de villa, quæ propterea *Fontheim* vocabatur, copia influebat aquarum in Caſtellum civitati proximum *Schönberg* dictum, ubi poſtea Monaſterium *S. Jacobi* per Archiepiſcopum quendam Moguntinum erat conſtructum; Caſtrum deinde occupaverunt prædictum, quo tandem obtento funditus deſtruxerunt.

Poſtremo etiam civitatem ipſam incendio ſubverterunt, omnibus, quos repererunt, interemptis. Neque tamen credideris civitatem noſtram ad Rheni (cujus limes indefenſus relinqui haud poterat) fluenta tantummodo hæſiſſe, Romani illam ſalubriori äere proſpectuque amœniori multum illecti & hoſti eminus obſervando intenti extenderunt ultra colles in Rhenum deſcendentes, umbroſamque vallem (*Dalheim*) Tuſculanis, Laurentianiſque, prout *Romæ* jam tum moris erat, exornare ſtuduerunt. Sat ſuperque hoc indigitant Romanorum reliquiæ anno MDCCXXXIV. ſq. &c. antea extra portas novam & arvalem, nec non in monumentis tunc noviter exſtructis à *SS. Philippo & Eliſabetha* nuncupatis ultra numerum eſſoſſæ, puteique altiſſimi ibidem detecti, aliaque rudera hinc inde in Campis reſidua nullum dubitandi locum relinquunt. Hodie dum novæ plantantur vineæ, agri ſulcantur, altiuſque effoditur limus, eruuntur aræ, penates, numiſmata Romana, ſarcophagi, urnæ, lagenulæ, varia ſupellex domeſtica &c. indubia Romanorum ædium eo uſque protenſarum documenta.

(9) Apud *Cornelium Tacitum lib. IV. c.* 15. 24. 25. 33. 37. 59. 61. *& c.* 70. *S. Hieronymum epiſt: ad Gerontiam* de Monogamia, *Gregorium Turonenſem lib.* 2. *c. IX. Flavium Vopiſcum in Aureliano c.* 7. legimus: *Maguntiacum* & *Mogontiacum.* apud *Eutropium lib. VII. c.* 8. 1. & *lib. IX. c.* 7. 2. *Eginhardum* in vita *Caroli M. c.* 32. *Moguntiacum.* Apud *Venantium Fortunatum lib.* 2. *epigram: XII. lib. IX. epigr. IX. Maguntia.* In antiquis juris Canonici exemplaribus, quæ pro Italorum more nomina hominum & civitatum propria haud pau-

ca

ca corrupte proferunt: *Magocia.* In *Annalibus Francorum Pithœanis* interdum: *Mogontia.* In *Notiis Imperii Romani: Moguntiaco.* In *itinerarii Romani* vetere *tabula Marco Velsero* Reipublicæ Auguſtanæ Duum-viro dedicata: *Magontiaco.* Apud *Ammianum Marcellinum lib. XV*: *Maguntiacus.* Apud *Lambertum Schafnaburg*: *Sigebertum, Udaſchalcum, Othlonum, Ligurinum* Vatem & alios quam plurimos, ſicut hodie: *Moguntia.*

Unde ſuum hauſerit *Moguntia* nomen? variæ & miræ prodierunt conjecturæ. *Sorbillo* nota præced. citatus à *Magog Japheti* filio dictam vult *Maguntiam* aut à Magis, quos *Treviris* expuliſſet *Trebeta* urbis illius, ſi fabulis locus eſt, conditor vel denique à *Magantio* Trojano. Sed linquamus haſce nugas, quæ umbram nequidem veritatis præſeferunt. Audiamus adhuc alios: *Beatus Rhenanus lib. III. rer. German: p.* 691. à *Mago*, quod antiquitus Domum ſignificat & rivo *cia* etymologiam repetit. *Serrarius* hanc ſuam aperit ſententiam: Mihi, ait, *lib.* 1. *rer. Mog. c. IV.* à rivis tribus *Ma* aut *Mon, Gon* aut *Gonze* & *Cia* videtur *Moguntia* & *Maguncíacum* derivari. Hi enim rivi, quamvis dubio procul, in tantis rerum commutationibus, varie commutati, corrivati & oblimati ſuperſunt hodie in Rhenum defluentes omnes & quidem à Septentrionali vicinia *Moguntiam* veniendo, eundem ipſum tenentes ordinem, quem nominis exprimunt ſyllabæ, ſuntque veterum nominum indices quædam reliquiæ Primum enim commonſtrat vicinus urbi pagus *Monbach*, ſecundum vicinus item pagus *Gontzenheim*, ubi propter fontium duorum in rivum iſtum, qui è *Fintheim* delabitur, immanationem, molarumque aliquot impulſionem

varie à ruſticis nunc appellatur, cum apud *Moguntiam*, ubi Rhenum ſubit & lapideum anno ſuperiore pontem firmum accepit, *Lobach* nominetur. De tertio *Cia* ſcilicet, hæc ſuperſunt in libris cenſualibus: *Zalbach auf der Cey* aut ſimpliciter *Clebach*, *Bretzenheim auf der Cey*. Omitto reliqua & cui hæ opiniones inſiſtant talo? genuinis hiſtoriæ cultoribus dijudicandum relinquo.

Plurimis viſum eſt ſimilius vero, *Moguntiæ* nomen à *Mogano* (Mœno) in Rhenum ibi ſe effundente derivari; perſuadet id nominis propinquitas. Germani enim Mœnum vocarunt *Mogen* vel *Moyn*, indeque urbis noſtræ nomen *Moynes* vel *Mögenes* immutatum à Romanis in *Moguntiacum* & *Maguntiacum* ex *Moynet* poſtea vel *Mogenet* mediis temporibus profluxiſſe *Maynetz Mayintz* & *Mayntz*, littera Z. ex Romanorum *ti* in voce *Maguntiacum* nomini *Moynet* vel *Mogenet* adjecta. *Alcuinus ſeculo VIII.* teſtatur *Tom. I. p.* 55. quod Archiepiſcopus *Moguntinus* fuerit vocatus Archiepiſcopus *Magenſis* à *Magans* (Mayn) fluvio.

Mogonum, *Mogenum*, *Moganum* reperimus in parte poſtica florenorum Conradi II. Joannis II. Archi-Epiſcoporum Mog: Höchſtæ ad Mænum cuſorum. Confer: die Mainzer Müntzen beſchrieben an. 1769. pag. 21. Nro. 92. 94. p. 22. n. 97. 99. Certum inſuper, nomina fluviorum & oppidorum pro varietate temporis, ac & incolarum varie ſubin eſſe immutata.

Germani ab ævi medii initio *Mænum* vocarunt *Moyn*, *Moyne*. Inde Moinagawe, Moynachgowe, Moynecgowe, Moyngowe pro *Mainz* dixerunt *Megunz* ut apparet è *Tradit: Laureſheim*: edit. *Academ. Palat*: *Tom. II. p.* 348. ubi *Megunzer marca.*

ca. Conf: *Diœceſis Moguntina in Archid. diſtincta Tom. 1. p. 148. not. b.*

Priſcis quotidianum erat, villas ſuas, oppida & Urbes recens conditas à præterfluente rivo aut fluvio non minus quam à fluminum oſtiis cognominare. Hujus aſſerti veritas Geographis patet, qui tibi ſuggerent: *Confluentes* ubi Moſella & *Lanſtein* ubi Lana Rheno, *Röermond* ubi Rura Moſæ, *Travemünde* Trava mari Balthico & *Oſtia* ubi Tiberis mari Tyrrheno influit &c.

Scite nobis accinit Imperatoris *Friderici Maro Liguriuus*; dum enim poſt *Conradi* Imp. mortem comitia *Francofurti* ad Mænum habita & *Fridericum* ibi electum deſcripſiſſet, hujus in Urbem Moguntinam adventum ita enarrat, ut illius ſimul origines indicet:

At Rex primâ movens, ibi re feliciter acta,
Caſtra per emenſas memorati fluminis undas,
Claſſe petit celebrem famoſi nominis Urbem,
Qua Mogus tumido miſcet ſua flumina Rheno.
Qui, licet ipſe ſuum perdat cum Gurgite nomen,
Dat tamen egregiæ primordia nominis urbi,
Illaque majori miſcet popularior amni,
Negligit & fluvio dignatur ab hoſpite dici.
Namque premens Rhenum, ſi credimus omnia famæ
Nomen ab infuſo recipit *Moguntia Mogo.*

Imo, ſuo jam tempore (ſec. IX) *Candidus* presbiter in vita *Eigilis* Abbatis Fuldenſis metrice conſcripta *cap. XIV. p.* 250. in Codice prob. *Hiſtor. Fuldenſ.* à *Schannato* editæ *p.* 106:

Ripam Reni,
In quem fluitans turgentibus undis,
Nam parte ex alia Caſtrum qua cernitur ingens
Haud procul à ponte ſurſum, quem ſoſpite regno,
Olim Rex *Karolus* fecit, prolabitur amnis,
Magoin ex quo, ut fama ſonat, *Mogontia*, dicta eſt.

(10) **Cura viarum publicarum Romanis maxima** erat. Cenſores vias ſternendas ſilice in Urbe, glarea extra urbem ſubſternendas, marginandaſque primi omnium locaverunt, ponteſque multis locis faciendos. *Livius Decad. V. c. XXXII.* Curam hanc extrema depoſcebat neceſſitas, cum ab Urbe ad provincias, à Caſtello ad Caſtellum legiones dirigere, diſponere, translocare, contrahere frequens; ſubin tota vis exercitus cum jumentis & vecturis omnique apparatu bellico contra hoſtes movendà eſſet. Legiones hiſce viis ſolidiſſime ſtruendis, reſtaurandiſque adhibebantur. Earumdem plura hodiedum ſuperſunt veſtigia & muri editioris continui adinſtar procurrunt. Medii ævi vulgus vias Romanas appellitare conſuevit, viam altam, viam Regiam, die hohe Straſs, die heer-Straſs, die ſtein-Strazza &c. quæ nomina ſæpius in tabulis recitantur. Juxta viam militarem, quæ *Bingio Maguntiacum* ducit, fons perennis *Druſi* conſervat memoriam plerumque dictus der *Drais-bronn Confer. Itinerarium Antonini* in quo Maguntiacenſis civitas Germaniæ primæ Metropolis caſtrorum caput occurrit. *Tabula Peutingeriana. Bergier de publicis & militaribus Imperii Romani viis. Hanſelmann beweis: wie weit der Römer macht &c eingedrungen. Stegeri* Diſſertatio *de viis militaribus Romanorum* in veteri Germania.

(11) Aquæ ſalubres copioſæ in Caſtris præprimis neceſſariæ ſunt. Homines enim & animantia quævis aquarum penuria fatigantur & contabeſcunt. *Druſus* igitur, ut Caſtro conſuleret ſuo, ingens opus adgreſſus, venas aquarum è monte Druſiano (Dreiſer ſive Fintherberg) ſcaturientium collectas paſſibus tot millenis per aquæ ductum pilis lapidaribus

daribus incumbentem ut divitem rivum profluere fecit usque ad locum Castri, qui *Drusi* lacus ab auctore deinceps nominatus fuit. vere exclamat *Livius lib. IX.* Jam in opere quis par Romano miles? quis ad tolerandum laborem melior? Confer: §. 1. *hujus not.* 8.

(12) Romani sua multum fatigabant ingenia, qua ratione cito & tuto cum copiis suis flumina trajicerent, nunc pontes è cuppis, nunc ex utribus, nunc è navibus conjunctis efformando. vid: *Justi Lipsii Poliorceticon lib.* 2. *pag.* 106 sq ubi pontium ejusmodi figuras conspicies. *Julius Cæsar* Rhenum transire decreverat, sed navibus transire neque satis tutum esse arbitrabatur, neque suæ neque populi Romani dignitatis esse statuebat. Itaque etsi summa difficultas faciundi pontis proponebatur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis; tamen id sibi contendendum aut aliter non transducendum exercitum existimabat. Rationem igitur pontis hanc instituit, tigna bina sesquipedalia paullum ab imo præacuta, dimensa ad altitudinem fluminis intervallo pedum duorum inter se jungebat. Hæc cum machinationibus dimissa in flumen defixerat, fistucisque adegerat, non sublicæ modo directa ad perpendiculum, sed prona ac fastigiata, ut secundum naturam fluminis procumberent: his item contraria duo ad eundem modum juncta intervallo pedum quadragenum ab inferiore parte contra vim atque impetum fluminis conversa statuebat: hæc utraque bipedalidus trabibus immissis, quantum eorum tignorum junctura distabat, binis utrimque fibulis ab extrema parte distinebantur. Quibus disclusis atque in contrariam partem revinctis, tanta

erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, ut quo major vis aquæ se incitavisset, hoc arctius illigata tenerentur. Hæc directa materia injecta contexebatur ac longuriis cratibusque consternebantur; ac nihilo secius sublicæ ad inferiorem partem fluminis obliquæ adigebantur; quæ pro pariete subjectæ & cum omni opere conjunctæ vim fluminis exciperent: & alia item supra pontem mediocri spatio: ut si arborum trunci, si naves, dejiciendi operis causa essent à barbaris missæ, his defensoribus earum rerum vis minueretur ne ponti nocerent. Diebus decem, quibus materia cœpta erat comportari, omni opere effecto, exercitus transducitur *Jul. Cæsar de bello Gallico lib. IV. c. XVII. Tomo III. Scriptor. Rer. Roman.* ab *Hauriſio* editorum *pag.* 417. quæ simul hujus pontis affabre facti structuram ad oculum sistit. Bis quidem *Julius Cæsar* & primus Romanorum cum exercitu Rhenum transiit, sed intra breve tempus & minore cum victoria rediit, quam ut Castellum ponere vel aliud gloriæ monumentum in hostium finibus relinquere potuerit. De primo transitu *Dio l.* 39. Scribit: *sed cum* Sicambros in loca munita se recepisse inveniret, Suevos autem ad auxilium his ferendum coire, intra vigesimum diem *regressus est.* De secundo idem *l.* 40. *inde quoque* mature metu Suevorum se recepit, nulla re perfecta, quam quod gloriam Rheni altera vice trajecti *reportavit.*

Drusus noster victrices in Germaniam aquilas proferre æstuans insolita quævis & ardua adgredi ausus, à littore Rheni sinistro ad dextrum usque extrui fecit opere immenso pilas lapideas justo spatio disjunctas, queis pons superstrueretur ducendo

cendo exercitui & reducendo aptiſſimus. De hoc ponte *Florus Rer. Rom. lib. IV. c. XII.* ubi *Cluverius* legendum eſſe notat Maguntiacum. Conf. Grævius in hunc *Flori* locum. Neque ulli Imperatorum alteri hoc opus adſcribi poterit, ut perlegenti ſcriptores Rer. Rom. pateſcit. vid. *Maſcov geſchichte der Teutſchen p.* 69. Locum etiam trajiciendo Rheno pontique ſtruendo aptiorem non reperies; nam ſupra *Moguntiacum* in Germaniam penetrare volenti, bina flumina eſſent ſuperanda & infra hanc urbem Catena montium obſiſteret.

Pilæ memoratæ decreſcentibus aquis ſubin videntur & ſunt Caſtello proximæ. Rheni igitur fluenta antiquitus ibi, ſicut hodie pertranſierunt. Quis ergo audeat ſolida proferre argumenta, quod *Auguſti* ævo pater Rhenus alveo mutato in hodierno foro pecuario & ad Cæſtrich, Haupt-Stein, Juden-Sand ſuum direxerit curſum? quod inſulæ nunc dictæ Petrina & Ingelheimiana vera Rheni ripa & terra firma fuerint? id ne credamus, perſuadent pilæ pontis à nobis viſæ, altitudo fori pecuarii cum ſitu Caſtelli ad libellam examinata, nec non ad ripam Rheni ſiniſtram, ubi ex adverſa Petrina inſula inter tilias noviter ad lineam plantatas deambulatum itur, detecta hoc anno 1780. Romanorum Columbaria &c. &c.

Caſtellum hodie *Caſſel*, à *Druſo* conditum quando fuerit? videbimus paulo infra.

§. V.

§. V.
EXPEDITIO DRUSI ALTERA IN SIGAMBROS &c.

Drusus, cum Sicambri, (*a*) eorumque auxiliarii Propter abſentiam *Auguſti*, ac quia videbant Gallos jugum ſervitutis gravatim ferre, bellum moviſſent, Gallorum primoribus ſub prætextu ejus feſti, quod hodie etiam *Lugduni* ad aram *Auguſti* celebratur, evocatis, motum ſubditorum præoccupavit: inde Germanis intentus, quando Rhenum tranſirent, eos repulit atque ipſe deinde in Uſipetarum (*b*) regionem ſecundum inſulam Batavorum (*c*) atque inde in Sicambrorum terram tran'greſſus, magnam agri partem vaſtavit. * Inde ſecundo Rheno in Oceanum devectus, Friſios (*d*) ſubegit ac per paludem in Chaucorum (*e*) fines profectus in periculo fuit, navibus propter defluxum maris in ſicco deſtitutis: tamen Friſiorum opera, qui pedeſtri militia ſe ei junxerant, ſuperato diſcrimine inde digreſſus (jam enim hyems appetebat) Romam pervenit: ibique Prætor Urbanus, quanquam prætorios honores jam adeptus, eſt creatus. *Q. Ælio Tuberone* & *Paulo Fabio Maximo* Conſulibus Anno U. C. DCCXLIII. *Dio L.* 54 (*f*) (*a*)

* Equos, pecora, torques eorum, ipſoſque præda diviſit & vendidit. *L. Florus lib. IV. c. XII.*

(*a*) *Sicambri* ſive Sigambri ſigam primum accoluerunt, hinc progreſſi ad Rhenum, cui proximos *Cæſar* facit; ad Ruram, ubi Sigeburgi, unius extribus præcipuis Saxonum Caſtellis, veſtigia ſuperſunt; ad Luppiam & pene ad Viſurgim uſque fines ſuos protulerunt. *Dio lib.* 54. limes inter ipſos Cattoſque fuit montis jugum, quod ab *Aldenbeca* juxta oppidum *Cleinenbergam* ad oppidum *Brilon* extenditur. *Cluver l.* 3. *c.* 9. At brevi deinceps ſpatio in his locis hæſerunt, à *Tiberio* Cæſare *C. Cenſorino & Aſinio Gallo* Coſſ. in Galliam translati atque in agris Rheno proximis collocati. *Sueton. in Aug. c.* 23. *Eutrop. lib.* 7. plura in *Monumentis* Paterborn: Principis *Fürſtenbergii p.* 5. *ſq.* cur Romani Sicambros invaſerint, cauſæ habentur variæ. Plurimum enim potentia & virtute militari valebant, nec ulli fuerant infenſiores & graviores Romani nominis & imperii hoſtes, & *Julio Cæſari* Tencteros & Uſipetes dedere recuſarant. *Caſar l.* 4: *Ad quos* (Sigambros) cum *Cæſar* nuntios miſiſſet, qui poſtularent, eos, qui ſibi Galliæque bellum intuliſſent, uti ſibi dederent, reſponderunt: Populi Romani imperium Rhenum finire. Si, ſe invito, Germanos in Galliam tranſire non æquum exiſtimarat, cur ſui quidquam eſſe imperii aut poteſtatis trans *Rhenum poſtularet.* Sigambri Caſtra *Cæſaris* in Eburonum finibus oppugnaverant & parum; quin occuparent, abfuerat. *Cæſar l.* 6. *Dio lib.* 40. *&c.*

(*b*) *Uſipetes* Uſipii, proximi Cattis certum jam alveo Rhenum. quique terminus eſſe ſufficiat, Uſipii ac Tencteri colunt. *Tacitus de M. G. c.* 32. §. 1. & *Annal. l.* 51. §. 3. poſtea eos ſedem ad

Rhe-

Rhenum infra Ubios habuiſſe ex hoc loco *Dionis* colligimus.

(c) *Batavi. Tacitus IV. hiſt.* 12. §. 3. Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, ſeditione domeſtica pulſi extrema Galliæ ora vacua cultoribus, ſimulque inſulam inter vada ſitam occupavere, quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. Adde *Tacit: de M. G. c.* 29. ubi omnium Gentium, quæ Rhenum accolunt, virtute præcipuos vocat. Cattorum in Batavis extant veſtigia *Catwyck op dem Rhyn* & *Catwyck op See* nec non in Seelandia Cattum opidum aquis dirutum & è regione ejus vicus prope *Gæſum* opidum *Cattenwick* ut obſervavit *Scriverius* ad *Hug. Grotium de antiquit. reip. Batav. c.* 2.

(d) Clarum inter Germanos Friſium nomen. *Tacit. IV. Annal.* 74. §. 1. *Plinius*, qui primus omnium ſcriptorum latinorum Friſios nominat, juxta Batavos eos collocat & cum iis Caninefates, Chaucos, Friſiabones, Sturios, Marſatios ſimul conjungit; ſed terminum occidentalem non deſignat. vid. *Ubbo Emmius hiſtor. Rer. Friſicar. Tacitus IV.* 15. §. 5. Gentem transrhenanam vocat. & de *M. G. c.* 34. §. 1. poſtquam dixerat de Angrivariis & Chamavis, ſubjicit: à fronte Friſii excipiunt. Majoribus minoribuſque Friſiis vocabulum eſt ex modo virium. Utræque nationes uſque ad oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immenſos inſuper lacus & Romanis claſſibus navigatos.

(e) *Chauci.* Horum Gens ſecundum *Tacitum de Mor. Germ. c.* 35. §. 2. quanquam incipit à Friſiis

ſiis & partem littoris occupat, omnium gentium, de quibus egerat, lateribus obtenditus, donec in Cattos uſque ſinuetur. Tam immenſum ſpatium non tenent tantum Chauci ſed & implent. vid. *Cluverius de Germ. Ant. c.* 18. De nobiliſſimo hoc populo aliquot libris egit Joannes Schildus adde *Valeſium l. 2. Rerum Francic. p.* 94.

(*f*) Vid. §. IV. not. 4. ubi locum ex *Dione Caſſio* retulimus.

§. VI.

TERTIA EXPEDITIO TRANS RHENUM.

Druſus initio veris rurſus ad bellum profectus, Rhenum tranſiit, Uſipetas (1) ſubjugavit: Lupiæque (2) fluminis ripis ponte junctis in Sicambros (3) irrupit, perque eos in Cheruſcorum (4) regionem uſque ad Viſurgim (5) proceſſit: id ut ei liceret, Sicambrorum in Chattos (6), qui ſoli finitimorum auxilia negaverant, totius populi viribus facta expeditio effecerat: quo tempore *Druſus* iis imprudentibus regionem peragravit, Viſurgim etiam tranſiturus, ni eum inopia alimentorum ac hyemis propinquitas præterea examen apum (7) in caſtris viſum deterruiſſent. Regreſſus in ſociorum terram in ſummum devenit periculum, inſidiis hoſtium frequenter læ-

ſus

ſus & aliquando in loco anguſto ac concavo (8) circumcluſus, haud procul abfuit, quin cum toto exercitu periret: à qua eum pernicie nihil aliud eripuit, quam hoſtium temeritas; qui cum uno omnes Romanos impetu deleri poſſe crederent, nullo ordine ſervato eos aggreſſi, victi inde, ferociaque ſua fracta diſceſſere. Ex eo barbari propius adire veriti, eminus tantum hoſtem infeſtavere, ita ut *Druſus* viciſſim iis contemptis, Caſtellum contra eos ad Lupiæ & Aliſonis (9) fluviorum confluentes aliudque in Chattis ad ipſum Rhenum (10) extruxerit. Ob hæc ei honores triumphales, ut ovans (11) in Urbem inveheretur, ac peracta prætura cum proconſulari imperio eſſet, decretum eſt: nomen autem imperatorium etſi, ſicut *Tiberius* etiam, à militibus imperator fuerat dictus, ac utraque re geſta id abunde meruerat, nondum ab *Auguſto* datum eſt. Hæc eo tempore à *Druſo* geſta ſunt: ludique quos prætor ipſe tum faciendos habebat, maximo ſumptu exhibuit, ac Natalis *Auguſti* in circo & variis aliis urbis locis, venationibus celebratus eſt: idque etſi non decretum, tamen quot annis fere à Prætoribus factum: Auguſtalia etiam quæ hodie celebrantur, tunc primum ex ſenatus conſulto acta ſunt. *Dio Caſſius Libr. LIV.*

(1)

(1) Vid. §. V. not. b.

(2) Luppia, Lupia, Lippa, Lippia, die Lippe. In *Velleji* exemplaribus, in quibus *ad Caput Juliæ fluminis* legitur, vel mendum in *Juliæ* pro *Lupiæ*, vel quasi in honorem *C. Julii Octaviani* flumen sic noviter appellatum. *Lipsius* in *Vellej. n* 194. Verum uti breve *Augusti* ad Luppiam imperium fuit mox Rheno terminatum, ita quoque memoria nominis in illo flumine non diu perduravit Luppia oritur sub Castro *Lipspringa* uno milliari à *Paterborna* in Bructeris & postquam supra *Neuhusium* Paderam, Alisonem infra alveo accepit & multa insignia Castra & oppida alluit, juxta *Vesaliam* in Rhenum evolvitur. *Monum. Paderborn. p.* 14. *sq.*

(3) Vid. §. V. not. a.

(4) *Cherusci* inter Germaniæ populos, à quibus Variana strages edita, eminuere, validissima tum natio à *Cæsare lib.* 6. *Vellejo lib.* 2. *Strabone lib.* 7. *Tacito lib.* 1. 2. 11. 12. 13. *Annal. & de Mor. Germ. Plinio lib.* 4. *c.* 14. *Floro l.* 4 *c* 12. *Dione L.* 54. 55. 56. descripta celebrataque. Non omnes inter Albim & Visurgim, ubi vera & præcipua sedes eorum fuit, & silva *Bacenis* pro nativo muro objecta, Cheruscos à suevis, Suevosque à Cheruscis injuriis incursionibusque prohibuit; etiam pro parte aliqua eis Visurgim habitarunt. *Dio lib.* 54. de *Druso* ut supra *Vellejus lib.* 2. intrata protinus Germania . . . recepti Cherusci & amnis mox nostra clade nobilis transitus Visurgis.

(5) *Visurgis*, qui Werrha & Fulda infra Mundam confluentibus hoc nomen nactus, usque etinet, dum in Oceanum effunditur, mutua Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis à *Putereulo*,

Strabone, *Mela*, *Plinio*, *Tacito*, *Floro* aliiſque memoratur.

(6) *Cattos* Suevorum gentem longe maximam & bellicoſiſſimam Germanorum omnium C. *Julii Cæſaris* commentariis magnopere celebratam, eandem cum Chattis eſſe, pluribus nos argumentis docet *Cluverius lib.* 3. *Germ. Antiqu. c.* 5. militarem eorum virtutem, mores ac diſciplinam *Tacitus lib. de moribus German*: ſatis diſerte ſic deſcribit: Duriora genti corpora, ſtricti artus, minax vultus & major animi vigor. Multum, ut inter Germanos, rationis ac ſolertiæ: præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rariſſimum nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum; plus reponere in Duce, quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem ſuper arma, ferramentis quoque & Copiis coonerant. Alios ad prælium ire videas; Cattos ad bellum-rari excurſus & fortuita pugna. Et aliis Germanorum populis uſurpatum, rara & privata cujuſque audentia apud Cattos in conſenſum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque ſubmittere, nec niſi hoſte cœſo, exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super ſanguinem & ſpolia revelant frontem, ſeque tum demum pretium naſcendi retuliſſe, dignoſque patria ac parentibus ferunt. Ignavis & imbellibus manet ſqualor. Fortiſſimus quiſque ferreum inſuper annulum (ignominioſum id genti) velut vinculum geſtat, donec ſe cæde hoſtis abſolvat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamque canent inſignes, & hoſtibus ſimul ſuiſque monſtrati. Omnium

um penes hos initia pugnarum: hæc prima ſemper acies, viſu nova. Nam ne in pace quidem vultu mitiore manſueſcunt. Vetus Chattorum nomen retinent nunc Haſſi. *Cluver. l. c.*

(7) Superſtitioſa ejuſmodi omina, portenta & præſagia quam plurima occurrunt in *Vellejo paterculo*, *Ælio Lampridio*, *Flavio Vopiſco*, *Suetonio* & aliis Rer. Rom: Scriptoribus.

(8) Locus ille concavus & anguſtus, in quo concluſum a Sigambris reducem à Viſurgi *Druſum* refert *Dio*, non alibi inquirendus videtur, quam in vallibus & ſilvis circa *Aldenbecam*, vicum Diœceſis Paderbornenſis vel in aditu ſaltus Teutoburgienſis, ubi, prope *Hornam* Oppidum Lippienſis Comitatus admirabilis illa picarum rupes vulgo *Exterenſtein* nuncupata conſpicitur. *Monument Paderborn. p.* 71.

(9) *Aliſo* Fluvii & Caſtelli nomen eſt, *Fluvii* apud *Dionem* loco ſupra *memorato*. *Caſtelli* apud *Vellejum lib.* 2. *Lucii* etiam *Ceditii* præfecti Caſtrorum eorumque qui una circumdati Aliſone immenſis Germanorum copiis obſidebantur, laudanda virtus eſt, qui omnibus difficultatibus ſuperatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hoſtium faciebat inexſuperabiles, nec temerario conſilio, nec ſegni providentia uſi, ſpeculatique opportunitatem, ferro ſibi ad ſuos peperere reditum *Tacitus lib* 2. *Annal.* de Aliſone memorat: *Cæſar*, dum adiguntur naves, Silium Legatum cum expedita manu irruptionem in Chattos facere jubet. Ipſe audito, Caſtellum Lupiæ adpoſitum obſideri, ſex legiones eo duxit. Neque *Silio*, ob ſubitos imbres aliud actum, quam ut modicam prædam & *Arpi* principis Chattorum conjugem filiamque raperet. Ne-

 que

que *Cæſari* copiam pugnæ obſeſſores fecere, ad famam adventus ejus dilapſi. Tumulum tamen nuper Varianis legionibus ſtructum & veterem aram *Druſo* ſitam disjecerant. Reſtituit aram; honorique patris ipſe cum legionibus decucurrit. Tumulum iterare haud viſum & cuncta inter Caſtellum Aliſonem ac Rhenum limitibus aggeribuſque permunita Notat *Cluverius l. c.* Ipſe autem vicus Elſen-haud dubie eſt Caſtellum ἀλίσων Aliſo, cum iisdem pene litteris nomen ejus antiquum in dicto vico exſtet.

(10) *Caſtellum*, *Caſſel* hodiedum quod extat è regione Caſtri *Magunciaci* ſitum hac occaſione extructum edocemur, ſicque ponti ibidem erecto novum munimentum eſſe additum videmus. Circa idem tempus trans Rhenum foſſas novi & immenſi operis, quæ nunc adhuc Druſinæ vocantur, effectas merito exiſtimem. *Sueton* : *lib. V. c.* 1. Confer: §. hujus *not.* 9. circa finem. Foſſæ modo memoratæ dicuntur foſſæ vallatæ aut vallum foſſatum vulgo der Pol-Graben. *Nicolaus Perſon* in Atlantis Moguntini *Charta topographica* partis inferioris Mœni partialem quamdam hujus foſſæ delineationem exhibet. Foſſa hæc vallata plane alia eſt ab illa in Belgio, quam *Druſi* nomine celebrem teſtatur *Tacitus Annal. lib. II c. VIII.*

(11) *Pomponius Lætus Rom. hiſt. Compend. lib. II.* de Triumpho & Ovatione ait : Triumphus hoc idem valet, quod ovatio. Domitis multa cæde hoſtibus, habebatur triumphus & boves cornibus auratis mactabantur, & bos ipſe, qui mactabatur in triumpho, thriambos etiam dictus. Cum vero hoſtes ſine pugna & ſanguine cum ducibus noſtris conveniſſent, quoniam res peracta ſine cæde eſſet,

Ovatio

Ovatio erat. Pedes ingrediebatur Urbem, qui ſic viciſſet, ſine ferculorum pompa, myrto coronatus una cum militibus: quia ea arbor dicata Veneri, quieſcere ab armis oſtendit. Tibicines ovantem præcedebant, quæ paciferæ choreæ inſtrumenta ſunt. In Sacris mactabantur oves, unde Ovationis nomen. In Præſens combinabantur triumphus & Ovatio.

§. VII.

EXPEDITIO QUARTA IN GERMANOS.

Germanos cùm alios, tum Chattos (*a*) (hi enim quoque relicto eo agro (*b*) quem Romani ipſis aſſignaverant, Sicambris ſe conjunxerant) *Druſus* partim maleficiis infeſtavit, partim ſubegit. His peractis *Tiberius* & *Druſus* cum *Auguſto*, qui in Lugdunenſi Gallia plerumque verſabatur, haud procul á bello Germanico remotus, ejuſque eventui intentus *Romam* redierunt, ac ea, quæ victoria impetrata fieri leges jubent, aut alias convenit, peregerunt. Hæc acta *Julio* ac *Fabio Maximo* Conſulibus Anno Urbis Conditæ 744. *Dio ad finem Lib. LIIII.*

(*a*) *Catti* initium ſedis ab Hercynio ſaltu inchoant non ita effuſis ac paluſtribus locis, ut cæteræ Civitates, in quas Germania pateſcit. Durant ſiquidem

dem colles paulatimque rarescunt & Cattos sucs saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit. *Tacitus de Mor. Germ. c.* 30. §. 1.

(*b*) Gentibus devictis Romani assignarunt terræ tractum excolendum; prout *Livius* & alii *Scriptores Rer. Rom.* passim commemorant. Agris dividendis creati Triumviri &c.

§. VIII.

ULTIMA DRUSI EXPEDITIO EJUSDEMQUE OBITUS.

Anno insequenti (1) *Druso* & T. *Quintio Crispino* Coss. signa *Druso* haud læta acciderunt. (2) Inter multa alia quæ tempestate & fulminibus perdita fuere, templa quoque nonnulla adeoque *Jovis* etiam *Capitolini* (3) & huic adjunctum fanum læsa sunt. Quibus neglectis *Drusus* in Chattorum fines ingressus, obvia quæque non sine magno labore subigendo, congressosque præliis haud incruenta victoria superando, usque in Suevos (4) pervenit: inde in Cheruscos converso itinere, Visurgim transgressus omnia populando ad Albim usque perrexit, qui ex Vandalicis montibus profluens in oceanum septentrionalem magnus admodum factus effluit. Hunc cum frustra conatus esset transire, trophæis constitutis recessit: etenim mulier

quæ-

quædam humana amplior forma ei obviam facta: *Druſe*, inquit, quo tandem nullum cupiditati tuæ modum ſtatuens contendis? non tibi fatis conceſſum hæc omnia videre. quin tu abi. Jam enim & operum tuorum & vitæ inſtat tibi terminus. Oblatam a deo aliquo hanc vocem, mirum profecto eſt, neque tamen mihi fides abroganda videtur huiç rei, quam ſtatim eventus comprobavit. Nam & continuo retro ire Druſus cœpit & in itinere, priuſquam Rhenum attingeret, morbo deceſſit. (5) *Dio Caſſius l.* 55.

---

(1) Anno Urbis Conditæ 745.

(2) De ejuſmodi ominibus, præſagiis vid. §. IV. *not.* 7.

(3) Tonanti jovi ædem conſecravit *Auguſtus*, liberatus periculo, cum in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perſtrinxiſſet, ſervumque prælucentem exanimaſſet. *Sueton: in Auguſto c. XXIX.*

(4) *Ptolomæus* triplices dicit Suevos, alteros Longobardos auſtraliores Sycambris à parte Rheni: alteros Anglos magis orientales Longobardis & in ſeptentrionem ad medium Albis projectos; Tertios Semnones à medio Albi orientem verſus ad Suevum uſque fluvium. Quo ſane ex tractu, quam late olim diffuſa fuerit Suevorum natio, fatis liquet.

(5) *Vellejus l.* 2. Magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus Gentis variis in locis profuſo ſanguine fatorum iniquitas Conſulem, annum

agentem trigeſimum rapuit. *Suetonius in Claudio c.* 1. ait: in æſtivis caſtris exſtinctum, quæ deinde ſceleſtata ſint appellata. *Livius in epit*: c. 140. redeuntem ex fractura, equo ſuper crus collapſo, trigeſimo quam accideret die mortuum inter Salam & Rhenum deceſſiſſe. *Strabo l. VII.* Eſt & Salas fluvius, inter quem & Rhenum, cum Druſus Germanicus belligeraret, domitis hoſtibus victor oppetiit. *Druſus* ubi expiraverit? quæſtio eſt necdum deciſa. *Suetonius* ſupra relatus eum in æſtivis Caſtris extinctum, quæ dein *Scelerata Caſtra* id eſt mala ſtatio, mala manſio ſint appellata, memorat. *P Williſus Petrelli* Prior Arnsburgenſis in Commentatione Hiſtorica de *Antiquo Romano Caſtro Aquilæ* vulgo *Arnsburg* in Wetteravia hanc ſuppeditat conjecturam pag. 28: Una & dimidia hora à Caſtro noſtro Haſſiam verſus duo ſunt pagi, *Ober & Nieder-Beſingen* (Böſingen) compellati. Nomen hoc compoſitum eſt ex *Bös* & *Ingen*. *Ingen* terminatio eſt multis Urbibus, pagis, regionibus adjecta, ſtationem, manſionem, poſſeſſionem ſignificans. ſic *Lotharingen*. Lotharii regio. &c &c. Dillingen, Solingen, Aerdingen Gröningen Wendlingen &c. &c. Thüringen, Tübingen, Kitzingen, Memmingen &c. &c. Habes ergo in nomine *Böſingen* malam ſtationem, manſionem. Neque credas à ſoli degenerantis natura & qualitate tam fatale nomen hiſce pagis inditum eſſe; nam terra ibi incolis non noverca, ſed frugifera eſt, de qua, cur colonus querelas moveat, non habet; aër quoque ibi ſaluberrimus &c. intra duos hoſce pagos Romani exercitus Caſtra fuiſſe locata, cum *Druſo* noſtro hora obvenit ultima, conjicimus. Notat *Mediobarbus Biragus*, extare elegantem elegejam

Pedonis

Pedonis Albi novani de morte *Druſi* ad *Liviam*. Eundem inter Salam & Rhenum occubuiſſe teſtantur *Vellejus* & *Strabo* (ut jam dictum) alii apud Ardua *Biſigæ*. vide paulo ſupra *Böſingen*.

§. IX.

DRUSI FUNUS.

Ad famam ægrotantis *Druſi Auguſtus*, qui non ita procul ab eo aberat, celeriter *Tiberium* (*a*) accerſiit: iſque animam adhuc trahentem fratrem ſuum reperit, *Romamque* Corpus defuncti attulit, portantibus id principio uſque ad hyberna Centurionibus ac tribunis militum, inde ſingularum in itinere Urbium primoribus. (*b*) Cadavere in foro propoſito, duplex *Druſi* laudatio, una à Tiberio in ipſo foro, altera in Flaminio Circo (*c*) ab *Auguſto* habita eſt: quoniam cum exercitu urbe profecto neque fas erat intra pomœrium (*d*) intrare, cum ea quæ ante id fieri inſtituta Majorum jubent, nondum perfeciſſet. *Druſi* funus ab iis, qui equeſtrem ordinem cum dignitate ſervabant & à patriciis in campum Martium eſt allatum: ibi cremati reliquiæ in *Auguſti* funt ſepulchrum conditæ. *Dio l.* 55. *

(*a*) *Valerius Maximus lib V. c. V.* Tantum amorem Princeps parensque noster insitum animo fratris *Drusi* habuit (*Tiberius*) ut cum Ticini, quo victor hostium ad complectendos parentes venerat, gravi illum & periculosa valetudine in Germania fluctuare cognovisset . . . iter quoque quam rapidum & præceps velut uno spiritu corripuerit, eo patet, quod Alpes Rhenumque transgressus, die ac noctu, mutato subinde equo ducentis millibus passuum per modo devictam barbariem *Antabagio* Duce solo comite contentus evasit. Sed eum tunc maximo labore & periculo implicatum, mortaliumque frequentia defectum sanctissimum pietatis numen & custos jupiter comitatus est. *Drusus* quoque, quanquam fato jam suo, quam illius Officio propior erat, vigore spiritus & corporis viribus collapsus, eo ipso tamen, quo vita & mors distinguitur momento, legiones cum insignibus suis fratri obviam procedere jussit & ut Imperator salutaretur, præcepit . . . eodemque tempore & fraternæ Majestati cessit & vita excessit.

(*b*) *Corpus* ejus per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis ad urbem devectum, sepultum est in Martio Campo. *Sueton: in Tib. Claudio c.* 1. Ipsum (*Augustum*) quippe asperrimo hiemis, Ticinum usque progressum neque abscedentem à corpore simul Urbem intravisse: circumfusas lecto Claudiorum juliorumque imagines, defletum in foro, laudatum pro rostris, cuncta à Majoribus reperta, aut quæ posteri invenerint, cumulata. *Tacitus Annal. lib. III. c V.*

(*c*) *C. Flaminius* viam *Ariminum* usque munivit & circumexstruxit. Utrique operi nomen ab auctore est

eſt impoſitum, circuſque Flaminius & via Flaminia vocata. *Livius. Decad. II. Lib. XX. c. LVIII.*

(*d*) Pomœrium, verbi vim ſolam intuentes, Poſtmœrium interpretantur eſſe. Eſt autem magis circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etruſci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato conſecrabant: ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjungunt; & extrinſecus puri aliquid ab humano cultu pateret ſoli. Hoc ſpatium, quod neque habitari neque arari fas erat, non magis quod poſt murum eſſet, quam quod murus poſt id, *pomœrium* Romani appellarunt & in urbis incremento ſemper, quantum mœnia proceſſura erant, tantum termini hi conſecrati proferebantur. *Livius Decad. I. lib. I. c. XLIV*, Confer: libellus *de orig. Urbis Romæ. Tom. III.* Scriptor Rer. Rom. *pag.* 668. de funebri pompa legatur *Polybius lib. VI. c.* 51.

* Reliquit *Druſus* noſter Conjugem *Antoniam* (1) mœrore afflictam cum trina prole, *Germanico* (2) nempe, *Livilla* (3) & *Claudio* (4).

(1) *Marci Antonii* & *Octaviæ* Cæſaris *Auguſti* Sororis filiam (2) multis poſtea Victoriis illuſtri *Druſi* magna apud populum Rom. memoria, credebaturque, ſi rerum potitus foret, libertatem reddituius. Unde in Germanicum favor & ſpes eadem. Tacitus Annal. lib. I. c. XXXIII. (3) ob conſpirationem in mariti necem fame enecata (4) ſub nomine *Tiberii Claudii Cæſaris Auguſti Germanici* noto. *Sueton. L. V. c. I.*

§. X.

§. X.

HONORES PUBLICI DRUSO DEMORTUO DECRETI.

Exercitus honorarium *Druſo* tumulum excitavit: (*a*) circa quem deinceps ſtato die quot annis miles decurreret (*b*) Galliarumque civitates publice ſupplicarent. (*c*) Præterea ſenatus inter alia complura (*d*) marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit (*e*) & Germanici cognomen ipſi poſteriſque ejus. (*f*) *Auguſtus* eum tantopere vivum dilexit, ut cohæredem ſemper filiis inſtituerit, ſicut quondam in ſenatu profeſſus eſt & defunctum ita pro concione laudaverit, ut deos precatus ſit, ſimiles ei Cæſares ſuos facerent: ſibique tam honeſtum quandoque exitum darent, quam illi dediſſent. Nec contentus elogium tumulo ejus verſibus a ſe compoſitis inſculpſiſſe, etiam vitæ memoriam proſa oratione compoſuit. *Suetonius Lib. V. c. I.* (*g*)

(*a*) Germanicique cognomen ei & filiis datum, honoreſque ſtatuarum, fornicum & honorarii ad ipſum Rhenum tumuli dati. *Dio Rom: hiſt. L.* 55. Poſt hunc *Claudius* fuit, patruus *Caligulæ*, *Druſi*, qui apud *Mogontiacum* monimentum habet, filius. *Eutropii Breviar. L. VII. cap. VIII.*

His primæ notæ teſtibus ſubſcripſere:

Otto

Otto Epiſcopus Friſingenſis in Chron: *L. III. c. IV*: Monſtratur adhuc monumentum *Druſi Moguntiæ* per modum pyræ.

Chronicon Auguſtanum c. V. vita functo *Druſo Tyberius Claudius Nero ei Moguntiæ* pyramidem ſtatuit mirifici cœmenti, quod ſæpius oculis vidimus noſtris. Cineres delati *Romam*: decretum illi in luctum. Auguſtenſes, dum ſui conditoris memoriam habere vellent, pyramidis Moguntiæ formam in armorum ſigna ſumpſerunt, pictorum tamen authoritate poſt, dum quilibet politus magis videri vellet, adjectus eſt color viridis uvæ.

Abbas Urſpergenſis in Chron: Druſus pater *Claudii*, qui quartus ab Auguſto Imperator fuit, apud *Magonciam* habet monumentum.

Joannes Huttichius in Collectaneis Antiquitatum in Urbe atque agro Moguntino repertarum Anno M. D. XX. editis & *Theodorico Zobel* juris Conſultiſſimo Maximæ Ædis Moguntinæ Scholaſtico inſcriptis de monumento, cujus figuram exhibet, ſic ad Lectorem: Hanc molem promiſcuum hac tempeſtate volgus *Glandis lapidem* vocare ſolet à figura ſcilicet, quam hodie præfert, nam habuiſſe olim pyramidis figuram, complures ſunt, qui opinentur. Altitudinem habet centum pedum & planiciem in cacumine pedum octo, ex quo colligi facile poteſt altiorem aliquanto eam fuiſſe, baſis ejus in circuitu patet CXXXII. pedes. Cujus autem honori extructa quondam fuerit, nullæ litteræ extant, quæ indicarent, extitiſſe tamen tanti operis titulum aliquem, ſed demolitos eſſe quosdam inerudito ante ſæculo dubitandum non eſt. Sunt qui conjectura ducti monimentum *Aurelii Alexandri* Imperatoris Romani *Mamææ F.* putent, hac fortaſſe,

taſſe, quod *Euſebius* Cæſarienſis refert in Chronicis, *Alexandrum* occiſum *Moguntiaci* tumultu militari, quodque ab *Ælio Lampridio* hiſtorico ſcribitur *Alexandrum* cenotaphium in Gallia, *Romæ* ſepulchrum ampliſſimum meruiſſe, unde & illud quoque adjiciunt, *Moguntiam* noſtram Germaniæ tum atque Galliæ caput fuiſſe. Cœterum conſtans & communis fere exiſtimatio omnibus eſt: *Druſi* id eſſe monimentum. Ejus rei *Eutropius* & *Otho* Friſingenſis epiſcopus teſtes ſunt locupletiſſimi, utriuſque vero ſententiæ in libro quodam ſuorum amorum ſubſcribit *Chuonradus Celtis* Germanus primuſque inter Germanos pöeticam lauream meritus. Hic, ut præter pöeticam virtutem nullum non diſciplinæ genus attigit, ita rerum germanicarum exactiſſimus fuit perveſtigator. Omneis in omni Germania angulos excuſſit vetuſtatis inquirendæ ſtudio, nec ullus eſt locus Germaniæ, quem non terra marique adierit. Hunc plerique eorum, qui docentem audierunt, ſciunt de rebus germanicis volumen ſcripſiſſe, quod incertum qua vel hominum vel deorum iniquitate cæteraque ejus permulta deſideramus. Ille igitur, ut erat vir integra fide, in Carmen ſuum haud quaquam inſeruiſſet, *Druſi* id eſſe monimentum, niſi plane cognitum perſpectumque habuiſſet. Bene vale, quiſquis hæc leges, & ſi quid noviſti rectius iſtis, candidus imperti.

Eadem retulit *Petrus Apianus* Ingolſtadienſis Mathematicus &c. &c.

Stabilito igitur *Druſi* monumento nil immoramur fabuloſis opinionibus à *Serrario Rer: Mog. l. 1. c. XV.* de *A. Glaſſa* & *Eigelo* Regibus Gentilium vel *Aureolo Marci Agrippæ* Conſanguineo recitatis æternaque oblivione ſepeliendis. Ma-

Magis erudita ſunt, quæ in *Theatri Urbium Tomo V. Charta XXIII.* profert *Jacobus Campius*, cum de illo, quod apud Treviros eſt, Egelano ſecundinorum monumento diſſeruiſſet: *Ejusdem nominis monumentum extat Moguntiæ prope muros, quod indubitatum mihi eſt in honorem Druſi Germanici exſtructum.* Pergit autem, quod huic monumento ſuperpoſitum fuerit ſignum *Aquilæ*, quæ idiomate Gallico vocatur *Aigle.* Quod item moris fuerit in eorum, quos conſecrabat in Deoſque referebat Gentilitas, monumentis aquilam ſtatuere. addit: Ægyptii animam ſignificare volentes, aquilam pingebant, ut tradunt, qui de Hieroglyphicis ſcripſerunt. Et priſci ethnici eos, qui immortalitatem adepti eſſent, aquila vehi tradebant. Extant Numismata, pro apotheoſi Impp. quorundam cuſa, quibus in antica parte ſcriptum eſt: *Conſecratio.* In poſtica habent aquilam montis faſtigio inſidentem, expanſis alis cœlum erecto capite intuentem & quaſi volatu in altum contendere nitentem. Quibus conſentit hiſtoria *Herodiani*, qui *libro IV.* morem Cæſarum conſectandorum deſcribit. Hæc aquilæ ſignificatio non male convenit monumento in memoriam defunctorum edito, ſive ille Romani, ſive Galli fuerint. Nam & Gallos ante natum Chriſtum opinionem de animarum immortalitate habuiſſe ac ita a Druidibus ſacerdotibus ſuis edoctos fuiſſe ſcribit Julius *Cæſar lib. VI. de bello Gallico.* Licet ille ad μετεμψύχωσιν Pythagoricam id detorqueat. Sic illi ab æterna mente illuminati, jam tum ante ad proclivius recipiendam Evangelii lucem divinitus fuerunt præparati. *Et poſtea*: cum igitur in *Druſi* conſecrationem is tumulus poſitus fuerit, Romani ritus conſuetudo

ſuetudo poſtulabat, ut aquila in apice poneretur. Et hinc poſteri, qui Gallica, Germanicaque promiſcue utebantur lingua, nomen indiderunt *Aigelſtein*. Veriſimile eſt & olim Coloniæ ſimile monumentum fuiſſe, unde etiamnum porta, vicuſque urbis *Aigelſtein* remanſit.

Doctam hanc *Campii* profitemur diſſertationem, ſed ſcopo noſtro minime applicabilem; cum Hiſtoricorum nullus de Apotheoſi vel conſecratione *Druſi*, bene vero de monumento & tumulis ejusdem honorariis mentionem faciat Erudita *Campii* conjectura in Igelanum ſupra Treviros monumentum multo cadit aptius, quam in *Moguntinum*, quod illic aquilæ appareat veſtigium, hic vero neque ſit, neque quod unquam fuerit, legatur; quanquam & antiqua Trevirorum breviaria locum illum vocant *Elegium* unde poſtea *Egelium*. Et ſi ab aquila Germanicum accerſendum eſſet nomen, cur Gallicum potius *Aigle* quam latinum adierint? cur non tam facile ab aquila factum eſſet primo *Aquelſtein* deinde temporis progreſſu *Achelſtein* quam ab *Aigle*? cur Gallo-Germanicam potius vocem quam Latino-Germanicam cuderint? Retineamus igitur vocem à glandis figura Germanicam, prout in Notis Romanorum *Valerii Probi* cum additionibus *Greſemundi* & præfatione *Wimpheling*. an. 1510. editis, ubi: Spectatu quoque dignum, juxta *Divi Jacobi* cœnobium eſt *Cl*: *Druſi* monumentum, cujus, ut veſtigia reliqua produnt, ſicut magnitudo & vaſtitas ſingularis, ita exterior lapidum ornatus eximius fuit, ſed detractis jam ornamentis & excavata, eruta, cæſa mole, colorem amiſit; forma eſt adinſtar Glandis baſi quadratæ eique maximæ inſiſtentis.

Juſtus

Juſtus Lipſius commentatio ad *ſecundum librum Annalium Taciti* hæſitare cœpit: ubinam locorum hoc *Druſi* cenotaphium fuerit erectum? cum ait: *Druſo mortuo cenotaphium decretum ad Rhenum ipſum.* Dio LV. & Suetonius *Exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem, ſtato die, quot annis decurreret & Galliarum civitates publice ſupplicarent. Neſcio an huic tumulo adjuncta ara: upparet, quia* Suetonius ait: *Supplicarent. Volunt id Cenotaphium ad Moguntiacum fuiſſe, repugnat hic locus, qui conſtituit inter Lupiam & Rhenum. Sed & Ravennæ ſepulcrum Druſus habuit, à Claudione ejus F. an ab Auguſto ipſo extructum? cujus memoria in lapide priſco ibi.* Hoc *Lipſii* dubium valde infirmum eſt; nunquid enim, quia inter Lupiam & Rhenum aliquod fuit ipſius Druſi cenotaphium, ideo alibi nullum eſt? an eidem plura erigi monumenta nequeunt? En ipſemet *Lipſius* agnoſcit aliud, quod *Ravennæ* fuit. Cur non & iſtud *Moguntiæ?* Et vero tanto magis agnoſcere iſtud debuit, quanto fuit ad firmitatem ac perpetuitatem compactius & coagmentatius. Ait enim *Suetonius in Claudio c.* 1. ad illud quot annis decurrere militem. *Oportuit igitur*, inquit loc. cit. *Campius*, tumulum non momentaneum neque levis operis, ſed firmioris & permanentis fuiſſe. Atque trans Rhenum, infeſtis ibi circum barbaris & regione agri objectis legionum præſidiis, ſero admodum pacati, quis aut tutus, aut metu vacuus ad ſacrificandum locus?

In miram & exoticam prolapſus eſt ſententiam *Chriſtianus Gotthelf Blumbergius* in duobus opuſculis, quorum prodiit unum an. MDCXC. latine ſic inſcriptum: *Monumentum Druſi Moguntiæ obviam.* in 12. alterum vernacula anno MDCC. auctius

latino hoc cum titulo : *Das Neroni Claudio Druſo bey der Stadt Maintz vormals aufgerichtete Grab- und Gedächtniſsmahl* &c. Chemnitz in 12. In editione hac ultima *cap. IV. p.* 165. ſq. ſic differit: Moles hæc in altum excreta rupes eſt, ea duritie firmitateque, ut omnibus merito injiciat admirationem. Quam enim ad falces murarias, tam ad tormentorum jaculatoriorum globos (quibus ſane à noſtris tum ſatis ſuperque verberabatur) eſt contumax. . . Formam nunc fert ſpeciemque vetuſtæ cujusdam ac ævo quaſi laborantis turris. Novi equidem eſſe, qui dicant, arte excitatam eſſe atque in altum perductam, eamque proin vulgariter ſubſtructionem vocant (ein Gebäu) quæ tamen appellatio non tam ipſius, quam circumpoſitarum olim ſtructurarum intuitu coorta videtur.. ſed enim, qui oculum ei penſius adjecerit, manifeſte deprehendet, non opus manu factum, ſed vivam quampiam rupem eſſe, quæ natura, è duri ſemine lapidis, in eam, qua viſitur, excreverit altitudinem. Id quod ſolum etiam, in quo ſtat, oſtendit, quippe quod ad maximam partem lapidoſum eſt ac petrenſe.

Viri doctrina & eruditione inſignes *Wilhelmus Erneſtus Tenzelius* & *Joannes Crato Hiegell* in Dialogis vernaculis anno MDCXCVIII. menſe Auguſto luci publicæ commiſſis rem hanc curatius penſitatam ſic deſcribunt *p.* 669 ſq. *Tenzelius* nempe Die VII. (XVII) Maji: Doctor *Hiegell* in montem jacobæum me deduxit, molis illius glandiformis, vulgari appellatione *der Eichelſtein* dictæ, propius viſendæ gratia. In ea autem peculiari Principis mandato, operarios impigre occupatos deprehendi. Cum enim ſuperiore anno Caſtellum ad Urbem

contra

contra hostium vim hoc fortius defendendam, recens exstructum suis ipse contemplaturus oculis, ad prægrandem hanc intra illud substructionem delatus esset, recordatus, Gallos, noviſſimæ obſidionis tempore, fœderatorum inde exercitui haud parum damni intuliſſe; quærebat ex eo, qui ſibi tum architecturæ militaris erat, annon intro ſcala quædam adſcenſu in ſummitatem illius tuto, parari queat; eoque, id factu omnino poſſibile eſſe, reſpondente, extemplo centum aureos de ſuo operi perficiendo dicabat. Admota hinc illi manu, ſcala lignea ſex & ſexaginta graduum extrinſecus, adſcenſui parando, excitari cœpit. Qua ſtructa, in planicie cacuminis machina quædam tractoria, ad ſimilitudinem & formam illarum, quarum in fodinis metallicis uſus eſt, ad rudus extrahendum ſtatuta. Poſtea loci planicie illa molis aliquam partem in rotundum, velut in puteis effodiendis fieri ſolet, excavata, opus deorſum verſus jam longe admodum proceſſit, operariis plus plusque indies in incepto pergentibus. Ego gradibus iſtis adſcendi in ſummum; oram omnem, late patente ex tam alta mole proſpectu, oculis ſubjeci, & juxta loricam, quibus olim ſepta fuit, conſedi. Cum deſcenderem, nonnullas lapidum arenoſorum calciſque induratæ particulas, uti tum machina illa extrahebantur, mecum ſumſi & abſtuli, in certiſſimum, minimeque fallax teſtimonium, molem hanc glandiformem vetus quoddam ſtructuræ cœmentitiæ genus eſſe, non autem rupem nativam vivamque. Id quod præter hæc ingentis illa magnitudinis, eaque formæ quadratæ & ſubalbicantis partim, partim rubentis coloris, ſaxa prominentia & lapidibus minoribus arena & calce (quæ tot ſæ-

culorum decurſu lapidum itidem induêre duritiem) contectis infarcta ſatis ſuperque manifeſtum faciunt ac teſtantur. Cum nunc lacunæ, quæ externe circum circa erant (ut in omnibus figuris ære expreſſis, ſpeciatim illa, quæ in Dialogis anni MDCXC. vernaculis menſi Aprili præfixa, videre eſt) expleantur ac lapidibus obſtruantur, inpoſterum ſubſtructio hæc non aliam præbebit ſpeciem, quam veteris cujusdam ſpeculæ, quales in Germania noſtra tum in locis campeſtribus, tum montibus paſſim conſpiciuntur.

Hiegellius loc: cit. p. 676 & ſeq. ad Tenzelium:

Facile tibi, Domine, intellectu fuit, cum in molem illam glandiformem, me præſente, adſcenderas, *Blumbergium p.* 165. 166. 208. 210. 213. ridicule prorſus, quin ſine ulla ratione ſcribere, eam non arte manuque excitatam ſubſtructionem eſſe, ſed rupem vivam, quæ natura ſic in altum excreverit. Certe, dum id vult, ſatis manifeſtum facit, ſe nunquam propius eam contemplatum eſſe. Eſt enim vere cæmentitia quædam ſtructura varii generis lapidibus (quos inter ingentis magnitudinis ſaxa arenoſa, eaque quadratæ formæ) in altum perducta. Quod quidem, cum parvas illorum particulas ab Operariis tum decuſſas, mihi deſuper adjeceris, menti tuæ quam optime occurret. Tum vero non tam admiranda duritie eſt, ut *Blumbergius* arbitratur ac *pag.* 165. ſcribit; ſiquidem non ſecus ac aliæ veteres cœmentitiæ ſubſtructiones, ſubigi poteſt ac expugnari, ut ipſe vidiſti, eam juſſu ſumtuque Principis Electoris, intro deorſum verſus perfodi, ut ſcalæ in gradus ſtructili locus ſit, qua tempore belli hoc facilius tutiuſque in ſummum adſcendi liceat, tum ſpeculandi gratia,

tum

tum tormentis minoribus, velut è turri quadam edita, hosti damnum inferendi; quemadmodum huic fini, mea memoria, viginti abhinc & quod excurrit annis, id genus tormenta, sclopetaque duplicata in ea jam disposita fuerunt & non demum, urbe fœderatorum copiis cincta, à Gallis, quos *Blumbergius p.* 167. multo labore apicem ferro superasse & quasi complanasse refert. Id quidem non inficiabor, longe majori duritie esse molem hanc, quam quæ hodiernis temporibus excitantur structuræ cœmentitiæ. Sed enim, cum mea sententia à temporis id provenerit longinquitate, qua calx è spissis & durioribus saxis confecta illorum quasi induit naturam, hoc ipso ad suspicandum ducor, illam longe majoris vetustatis esse, quam ut Romanorum opus dici possit. Quæ quidem conjectura hoc magis veri præ se fert speciem, quo minus neque dum a quopiam argumentis omni exceptione majoribus demonstratum invenio, cujus in honorem & quo tempore fuerit exstructa? Quamvis enim *Druso*, quod quam plurium scriptorum fide dignorum testimonio constat, tumulus honorarius *Moguntiæ* positus fuerit, neminem unum tamen novi, qui firmis evicerit rationibus, illum ipsum molem hanc glandiformem esse. Ad hæc rotunda ipsius substructionis hujus moveor figura. Id genus enim forma, quod sciam, Romanis in monumentis statuendis non erat in usu. Quod cum *Blumbergio* suboleret, in eam, licet erroneam opinionem adductus est, figura molem hanc olim fuisse pyramidali (ad similitudinem monumenti illius, quod *C. Cestii* in honorem *Romæ* ad portam *S. Pauli* constructum visitur) belli vero casibus vel tumultibus civicis, triangulari, qua erat,

facie immutata, redactam esse in formam rotundam. Enimvero, si propius illi successisset, ut ego *Romæ* pyramidi *C. Cestio* positæ, certe substructioni huic nunquam omnino formam pyramidalem affinxisset. Quod figura semper fuerit rotunda, & nunc, dum intervalla illa lacunosa, olim, cum tentaretur, facta, lapidibus cæmento tectis obstruuntur, ad eam, qua nunquam non fuit, speciem rursum redigatur, tute vidisti ipse. Quæ cum ita sint, sat causæ *Blumbergio* erit, figuram illius, quam titulo libelli sui præfixit, de medio tollendi. Interim id genus fictas commentitiasque res refellere ac confutare, majoris operæ negotium est, quam veras describere.

Blumbergium postea veritati manus dedisse, atque in peculiari quodam schediasmate, *Tenzelii* & *Hiegellii* in sententiam suam retractando!, concessisse monuit Joannis in præfatione rebus Moguntinis generatim præmissa §. 14. p. 15.

Hiegellius ipsemet autumans hoc opus ante Romanorum in hasce terras adventum jam stetisse, clarius postea in Collectaneorum Naturæ, artis & antiquitatis specimine primo (simul & ultimo) *L. B. de Thungen* Urbis Copiarumque commendanti &c. oblato *pag.* 8. locutus est: Romanos has provincias olim tenuisse & satis diu coluisse, limitem Rheni tenentes, comprobant monumenta quædam vetera, ex quibus adhuc hodie insana illa substructio in propugnaculo montis *S. Jacobi* ad Excellentiæ Vestræ hortum amœnissimum glandis figura, hinc nostris *Eichelstein* dicta, visitur. . .

Hujus Drusiani monumenti testes produximus scriptores Romanos & alios in quos nulla cadit exceptio; Manent ergo, cum *Browero Annal: Trevir:*

l. 1.

l. 1. p. 132. loquimur, quod in temporum libro interpres *Eusèbii B: Hieronimus & Eutropius*, quomodo nunc quidem legitur, consensu tradunt, *Drusi* monumentum celebre extitisse apud *Moguntiacum*; tametsi mendum in *Eusebii Chronico* notatur, cum *Claudius* patruus *Drusi* ibi dicitur, qui erat filius. Nec *Druso Germanici* filio conditorium hoc attribuisse velis; quem oppressum afflictumque *Tiberii* criminationibus & à senatu hostem judicatum, credibile non est, id genus monumenti, nulla domi militiæque gratia, promeruisse. Et vero stat hodieque vicino urbi colle, cui nomen olim *Drusi* locus, moles illa saxea proxime *D. Jacobi* Cœnobium, Moguntiæ novæ ad Austrum obversa; surgitque ex prægrandi quadrilatera basi, structura solida, glandis in morem; cujus ut formam sic nomen & vulgo retinet, cum fama Drusianæ memoriæ.

Stetit olim extra mœnia Moguntina alia adhuc moles *Drusi* memoriæ & honori, ut communis fert opinio, exstructa. Saltem ager, in quo stetit, vulgari appellatione vocabatur *Drusi locus* corrupte *Drusenloch* sive, ut aliis latinius quasi efferre placuit, *Drusilacium*, quemadmodum *Serrarius l. 1. rer. Mog. c. XV. §. 1. p. 39.* jam notavit. Stetit autem non procul à vetustissima *S. Nicomedis* basilica ex adverso molis illius glandiformis, de qua in superioribus actum. Indicium nobis faciunt litteræ judicum, S. sedis Moguntinæ anno MCCCCXXXIV. Indictione XII. d. XIV. mensis Augusti, Pontificatus *Eugenii PP. IV.* anno IV. datæ; quarum ideo partem hic ex addendis ad *Serrarii res Moguntinas p.* 1000. juvabit repetere: Pridem introducta nobis inter. .. Dominum Decanum & Capitulum Ecclesiæ Moguntinæ Actores

ex una, & quondam *Anselmum*, dum vixit, Abbatem monasterii *S. Jacobi*. . reum de & super duorum solidorum censu. . de & ex agro sito in campis, regulariter *Drusenloch* dicto, ex opposito *Eygilstein* extra muros Moguntinos, cedentium. .

Figura fuit triangulari & tricorni, ut *Hermannus Engeler* & *Mathias Dieffenbach* ad *D. Jacobi* in monte speciosо monachi majorum fide referunt. Ille in epistola ad *Petrum Sorbillonem* vulgo *Slarp*, dictum, monachum in *monte Episcopi* ad *D. Joannis* his verbis: Qui & hodie locus (de Drusilacio autem loquitur) suo cum nomine remanet. Cum igitur veteres Chronographi Colossum *Drusi* triangularem fuisse & tricornem dicant, utpote aggeris & structuræ ipsius visu & præsentia certificati atque ipsorum temporibus scilicet circa annum Domini MCCC. adhuc existentis, tu quæso. . . Hic in Catalogo Abbatum *D. Jacobi* M.S. quem *Higellii* beneficio *Christiano Joannis* tractare licuit, in hunc modum: *Colossus*, Drusilocus seu Drusillocum aut Drusiloch vocatus, agger fuit triangularis, atque in summitate sua tricornis, vulgariter dreyspitzig, Romanorum militum clypeis aggestus, in honorem *Drusi* Cæsaris (hæc vox *Cæsaris* abusive pro *belli Imperatoris* ponitur) inter quæ tria cornua cupream statuam seu phalangem & desuper nodum deauratum, Drusi viscerum cineres continentem, posuerunt. De cujus aurei coni splendore ex solis reverberatione in oculos intuentium vibrato, homines admirati, *Maguntiam* appellarunt *urbem auream*; sicut Teutonicus noster Historicus in tertia sectione testatur, quam historiam ad Sigfridum usque perduxit juniorem Archiepiscopum Moguntinum, qui præsidere cæpit anno MCC. Asseni-

tur

tur his Sigehardus monachus monaſterii *S. Albani*, qui circa annum Domini MCCXCVII. edidit legendam ſanctorum Aurei & Juſtinæ Martyrum. *Hæc ille.*

Figura hujus monumenti apud *Joannidem T. III. rer. Mog. p.* 339. eadem eſt cum illa apud *Hiegellium* in ſpecimine *ſupra cit*: ſed alia plane ac ea, quam exhibet *Serrarius in rebus Mog: an.* 1604. *editis p.* 65.

(*b*) *Decurſio* ait *Lipſius libr. V. de militia Romana*, haud longe ab Ambulatione eſt & fit in armis & ſub ſignis. De ambulatione *Vegetius Lib.* 1. *c. XI.* Nihil magis in itinere vel in acie cuſtodiendum eſt, quam ut omnes milites incedendi ordinem ſervent. Quod aliter non poteſt, niſi ut aſſiduo exercitio ambulare celeriter & æqualiter diſcant. *Idem lib.* 1. *c.* 27. Vetus, inquit, conſuetudo permanſit & *D. Auguſti* atque *Hadriani* conſtitutionibus præcavetur, ut ter in menſe tam equites quam pedites educantur ambulatum. Hoc enim verbo hoc exercitii genus nominant. Decem millia paſſuum armati inſtructique omnibus telis pedites, militari gradu ire ac redire in Caſtra jubebantur; ita ut aliquam itineris partem curſu alacriore conficerent. Nunc ad decurſionem, cujus finem & fructum idem *Vegetius* pandit *lib.* 1. *c.* 9: Ad curſum præcipue aſſuefaciendi ſunt milites, ut majore impetu in hoſtem procurrant; ut loca opportuna celeriter occupent; ut ad explorandum alacriter pergant; ut fugientium terga facilius comprehendant. *Seneca Ep.* 18. Miles in media pace decurrit ſine ullo hoſte & vallum jacit & ſupervacuo labore laſſatur, ut ſufficere neceſſario poſſit. Item *Livius* inter militaria exercitia ludoſ-

que, quos Scipio inſtituit *Lib. XXVI.* primo die Legiones in armis quatuor millium ſpatio decurrerunt. Grande profecto ſpatium, ſi attendis, curſum non itum fuiſſe. *Capitolinus* de hac ipſa in Maximinis: Quinta quaque die jubebat milites decurrere. *Suetonius in Nerone*: Indicta decurſione Prætorianis, ſcutum ſua manu prætulit. *Idem in Galba*: Ipſe maxime inſignis, quod campeſtrem decurſionem ſcuto moderatus, etiam ad eſſedum Imperatoris per viginti millia paſſuum cucurrit. Hæc decurſio ad tubam facta & ad eandem revocata. *Vegetius lib. II. c. XXII.* Hoc militaris exercitii genus ſtato die quot annis à Romana militia in memoriam *Druſi* peragebatur.

(*c*) Supplicatio indicta eſt decreto publico; feriatum à laboribus, injunctæ preces atque Grates ſacrificiis, epulis atque lectiſterniis communi ſtudio Diis pro Victoria aut alio rei fauſtæ eventu, pro malis avertendis, aut in memoriam & honorem magni Imperatoris aut belliducis referendæ. In Urbe Ædiles juſſi templa omnia aperire; comitia & tribunalia tota urbe vacabant. Trium vel ad ſummum quinque ob res autem Cæſaris bene geſtas LX. dierum decreta ſupplicatio aut devotio fuit. Confer *Struvii ſyntagma Antiquitatum Romanarum p.* 382. &c. De tumulo & ara *Druſi* ad Lupiam *vid. §. VI. not. 9.*

(*d*) Quæ inter honores ſtatuarum & cudendorum numiſmatum &c. de Cuſis Druſi nummis infra * nunc de Statua conditoris ad Rheni ripam erecta. *Serrarius lib. 1. rer. Mog. c. XV. §. IV.* ita: Statua

Druſi

* Nummi in memoriam *Druſi* à *Claudio* Imp. ejus filio ſignati & à *T. Veſpaſiano* reſtituti.

Druſi, cum corona, telo & paludamento in ſaxo eſt, quod in Moguntini telonii muro exteriore & in hujus quidem angulo auſtrali velut inſitum apparet, hac inſcriptione: *In memoriam Druſi Germanici.* In præfatione ſuorum pietatis exercitamentorum *Georgius Wicelius*, ſaxum, ait, eſt quadriforme *Druſi* Germanici ac aliorum Ducum Romanorum ab ipſis ethnicis fabrefactum, quod in horto domus, è qua iſtuc exaro, viſitur. Curatius hanc ſtatuam deſcribit *Browerus Annal. Trevir. lib.* 1. *p.* 132. Quo jucundius aliquando fuit Rheni ripam iſtic obeunti proximo urbi municipio offerri ſaxum vetus, ſculptura hominis an Dei, capite tecto velut exuviis cornutæ pecudis circumamicta & in lævum humerum rejecta toga, haſtam dextra, ſcutum ſiniſtra tenentis, cum epigrapha per quadrum eunte, ſurſum deorſumque: *In memoriam Druſi Germanici.* Neque lapidis ruditas ſeu ad vetuſtioris exemplum ſculpti, ſeu a poſteris locati, *Druſi* memoriam obliterat, cum noſtratibus Germanis invicem malum precantibus, hodieque Druſi nomen frequens in ore. Et exuviarum geſtamen ac frons cornuta, remotiorem utique ſapiunt antiquitatem, nam & jovis & *Alexandri Magni*, Regumque Macedoniæ, notum eſt, imagines ſculpi ſolitas effigie cornuta & Leonini capitis Spoliis, à quibus imitatione virtutis & divinitatis affectatione ſumpſere Romani.

Eadem refert libellus *Aarea Moguntia* inſcriptus anno 1705. in ſtrenam datus authore *Chriſtiano Hartmann* Limburgenſi ad Lahnam, qui dicto anno ſeptima Aprilis *Moguntiæ* obiit. Notat *Hiegellius* in ſpecimine ſupra nominato p. 8. de hoc lapide: pereuntem vidi, quando Galli anno 1688.

ad

ad ſtantem telonii turrim cum porta vulgo Boxpfort deſtruxerunt, locum novis aggeribus munientes.

(*e*) Arcus hic triumphalis in honorem *Druſi Romæ* exſtructus deſcribitur infra in nummis nro I. II. III. IX & X. imo *Gruterus CCXXXVI.* 5. partem hujus arcus reſiduam oſtendere contendit cum epigraphe: *Ap. Divortia. Rhent. pervaſi. hoſtiles. Depopulator. Agr. . .* Non poſſum, quin hoc loco memorem, quod nonnemo nuper ſcribere non hæſitaverit: In memoriam aquæ ductus Moguntini nummos eſſe cuſos, quibus inſcriptio: *Nero Claudius. Druſus. Germanicus. Imp.* cum typo arcus aquæ ductus, in cujus ſummitate *Druſus* eques inter trophæa. Ejusmodi nummus in rerum natura non extat; bene autem multi in nummophilaciis aſſervantur, qui arcum *Druſi* triumphalem exhibent cum inſcriptione: *De Germanis.* Nummo tali frontem hujus libelli exornare libuit.

(*f*) Denique non per adulationem, ſed ex meritis, defuncto ibi fortiſſimo juvene, ipſi, quod nunquam alias, ſenatus cognomen ex provincia dedit. *L. Florus lib. IV. c. XII.* vid. hujus §. 1. not. a. & nummos in memoriam *Druſi* cuſos. Nomen *Germanici* pluries deinceps in nummis Imperatorum recurrit. In *Domitiano* apud *Vaillant Tom. I. p.* 41. 42 *&c.* in *Trajano p.* 51. *in M. Aurelio Antonino. p.* 83. *&* 86. *in Maximino p.* 149. in *Julio Cæſare* ſignatus eſt nummus reſtitutus expreſſa Germania provincia. *Vaillant T. II. p. 6. in Vitellio p.* 80. *in Domitiano p.* 195. in *Hadriano p.* 143. in *Commodo p.* 183. in *Valeriano p.* 344. *Vaillant Tom. III. p.* 179. *&* 180. in *Maximino & pag.* 206. *in Gallieno.* &c.

(*g*) Decem & novem annis poſt *Druſi* obitum elapſis, anno

anno ſcilicet Urbis Conditæ 764. *Tiberius* ædem *Concordiæ* ſacravit, inſcripto ſuo & fratris *Druſi* vita pridem functi nominibus. *M. Æmilio Lepido* & *Statilio Tauro* Conſulibus. ita *Dio Caſſius pag.* 671. editionis Pariſinæ *Henrici Stephani* anno 1692.

I.

NERO. CLAUDIUS. DRUSUS. GERMANICUS. IMP.

Caput *Druſi* ſine laurea. Obſervat *Joannes Vaillant* rei nummariæ ſcrutator ſolertiſſimus: In nummis æreis Druſi Neronis caput ſine corona reperiri; in argenteis vero & aureis laurea inſignitum eſſe.

Averſa T. DIVI VESP. F. AUG. P. M. TR. P. COS. VIII. REST. S. C.

Arcus triumphalis pulcherrimus, in cujus periſtylio legitur: *De Germ.* ſupra arcum eques, ut Romam ovans ingreſſus erat, hinc & inde trophæum, in memoriam eorum, quæ in Germania cis & trans Rhenana exerexerat. conferatur locus Suetonii ad initium §. X. relatus. Numinus Æreus primæ magnitudinis *Vaillant T.* 1. *p.* 12.

II.

Adv. Ut I.

Av. IMP. CAES. T. DIVI. VESP. F. AUG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. REST.

Arcus triumphalis ut ſupra. nummus primæ formæ,

III.

Adv: Ut numero I.

Av:

Av: CÆSAR. AUG. F. DOMITIAN. COS. V. REST.

Arcus ut ſupra, in cujus periſtylio *De Germ.*

Nummus primi moduli inſignis eſt præſtantiæ & raritatis.

IV.

Adv. Ut I.

Av. T. CLAUDIUS. CÆSAR. AUG. P. M. TR. POT. IMP.

Nero Claudius togatus ſedet in ſella curuli inter armorum ſpolia poſita, dextra ramum, ſiniſtra chartam involutam.

V.

Adv. Ut I.

Av. S. C. Sine epigraphe.

Figura muliebris dextra florem trifidum, læva veſtem ſublevans. Notat *Vaillant* l. c. Hic nummus primi moduli, licet forſan errore monetarii à nummo Claudii mutuatus, inter raros habendus.

VI.

Adv. Ut numero I.

Av. IMP. CÆS. T. DIVI. VESP. AUG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. *

In medio nummi *Reſt. S. C.*

Notat Vaillant: Hic nummus primæ formæ in theſauro *Patini*, (in editione MDCLXXII. pag. 141.) ſi legitimus, inter rariſſimos eſt collocandus.

VII.

* Apud Patinum legitur *COS. VII.*

VII.

Adv. Ut I.

Av. Epigraphe ut VI.

Figura ſedens in ſella curuli inter armorum ſpolia poſita, dextra ramum.

Hic nummus primæ formæ rariſſimus eſt. Omnes nummi ſupra recenſiti ex ære magno ſunt.

VIII.

Adv. NERO CLAUDIUS DRUSUS GERMANICUS IMP.

Caput Druſi laureatum. In aliis corona quercea redimitum.

Adv. *De Germanis.* Duo clypei cum ſpiculis & ſigno militari.

Clypei oblongi, ſpicula & vexillum inſigne equitum in hoc nummo cælantur in memoriam eorum, quæ Druſus *Tiberii* frater de Germanis Victor retulit, cum ob id, decretis ſibi triumphalibus ornamentis, ovans Romam ingreſſus eſt.

Hic nummus ex argento & auro pro raro habetur. *Vaillant T. II. p. 45.*

Patini theſaurus argenteum exhibet p. 51.

IX.

Adv. Videatur ſub numero VIII.

Av. Arcus triumphalis, ſupra quem figura equeſtris inter duo trophæa. In periſtylio *De Germanis.* Vaillant l. c. apud Patinum p. 5. aureus extat ſed voces: *De Germ.* in una linea non ſunt poſitæ forſan ex defectu ſpatii. Confer. numerus I. nummus ex auro & argento rarus.

Adv.

X.

Adv. TI. CLAUD. CÆS. AUG. P. M. TR. P.
Caput Claudii laureatum.

Av. *De Germ.* Arcus triumphalis.
Arcus ille eſt Druſi patris *de Germanis* in via Appia, in regione prima verſus portam Capenam erectus, quem anno Imperii primo in memoriam Patris in nummis ſuis cælari juſſit pius in parentem, de quo narrat *Suetonius cap.* 11. *in Claudio*: Parentibus in ferias publicas & hoc amplius, patri Circenſes annuos natali die, matri carpentum, quod per circum duceretur. *Vaillant T. II. p.* 54.

XI.

Adv. Ut numero X.

Av. DE GERMANIS. Duo clypei cum haſtilibus & vexillo, ut in Druſo patre.
Sunt & illa Germanorum arma de ipſis à *Druſo Claudii* patre *Romæ* in ovatione lata, de quibus ſupra numero VIII. Hic typus à monetariis in memoriam patris, ut arcus ejus triumphalis in *Claudio* renovatus eſt.
Nummus argenteus inter elegantiſſimos numerandus. *Vaillant T. II. p.* 54.

Druſi noſtri nummum argenteum, cujus adverſa pars exhibet fluvium in figura viri decumbentis dextra arundinem, læva Urnam aquaticam geſtantis cum inſcriptione RHENUS. & averſa Caput Druſi laureatum cum inſcript: NERO CLAUDIUS DRUSUS GERMANICUS. IMP. vid. in Operibus *Velſeri Hiſtor. & Philolog. pag.* 235.

Plura

Plura Druſi numiſmata protulit. Comes *Franciſcus Mediobarbus* Biragus in Numiſmatibus Imperatorum Romanorum à *Pompejo* Magno ad *Heraclium*. Mediolani 1730. *fol. pag.* 59 ſq.

Quæ inter notari præcipue merentur:

RHENUS Typus Rheni fluvii expreſſus.

DE GERM. Arcus triumphalis, ſupra quem figura equeſtris in medio duorum trophæorum. *Patin Theſaur.*

NERO CLAUDIUS DRUSUS GERMANICUS IMP

RHENUS. Typus Rheni fluvii.

TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG P. M. TR. POT. IMP.

RHENUS. fluvius decumbens prope montem, dextra arundinem, ſiniſtra urnam, ex qua aquas effundit. *Triſtan. fol.* 145. Inter hos nummos plurimi ſunt à *Tiberio* & aliis reſtituti.

Præter monumenta ſuperius recenſita perenni Conditoris noſtri memoriæ dicata varias reperimus villas, oppida, civitatumque portas in Germania cis & tranſrhenana Druſi nomine inſignita.

Sic porta Urbis Moguntinæ infra lapidem glandiformem prima Rhenum verſus *Druſi* porta audiit, poſtea interiôr *Dietrichs Port*, exterior Wilhelmiter Port hodie *porta nova* dicta.

Nota eſt villa *Drais* horæ ſpatio ab Urbe diſtans; nec minus nota *Druſi* porta & fons *Druſi* apud *Bingium*.

Druſenheimium infra Argentinam, *Druſiana arx* in Belgio ſive *Doesburg*, *Druſi Auguſta* ſive *Auguſta Vindelicorum*, *Drais Münzenberg*, *Druſebergshof* in Confiniis Fuldenſibus, ubi eundem quidam vita exceſſiſſe ajunt &c. &c. Druſiani nominis quidquam referunt.

Vela nunc contrahimus & in teſſeram gratiſſimi animi *Druſum* noſtrum in omnium memoria eſſe volentes perbrevem tabulam affigimus; è qua, ſi pagellæ noſtræ fortaſſe legi noluerint, quis & quantus is fuerit? liquido perſpicere quivis poterit.